Observationes, quibus praestantiores vires corticis Peruviani rubri, in cura intermittentium aliarumque febrium stabiliuntur. Accedunt hinc indè annotationes in curam aliorum morborum eodem remedio ... / [William Saunders].

Contributors

Saunders, William, 1743-1817.
Brabant, P. C. de.

Publication/Creation

Gandavi : J. Begyn, 1783.

Persistent URL

https://wellcomecollection.org/works/m9qyspw6

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
https://wellcomecollection.org

L. XVI. Qui

OBSERVATIONES,

QUIBUS PRÆSTANTIORES VIRES

CORTICIS PERUVIANI RUBRI,

IN CURA INTERMITTENTIUM ALIARUMQUE FEBRIUM STABILIUNTUR.

Accedunt hinc indè annotationes in curam aliorum morborum eodem Remedio.

Authore GUILELMO SAUNDERS *M. D. Coll. Reg. Med. Londin. Socio, Nosocomii Guyani Medico,*

EDITIO ALTERA

Ex Anglico idiomate in Latinum versa

a P. C. DE BRABANT *Med. Gand.*

Æquè pauperibus prodest, locupletibus æquè.
HORAT.

GANDAVI
Typis JUDOCI BEGYN, Typographi Civitatis, in plateâ *Breydelstege*, sub Signo Angeli.

M. DCC. LXXXIII.

WELLCOME
HISTORICAL
MEDICAL
LIBRARY

INTERPRETIS PRÆFATIO.

NOn alio intuitu hoc opuſculum ex anglico in latinum ſermonem verti, quam ut Cortex *Ruber*, qui SYDENHAMI & MORTONI tempore in uſu, dein rejectus & ſenſim oblivioni traditus fuiſſe videtur; nunc vero ab anno 1779. caſu fortuito reductus eſt, denuò innoteſceret, & prima data opportunitate a Mercatoribus noſtris & Pharmacopolis in has regiones curaretur adferri.

Si enim verum ſit, Corticem Peruvianum inter heroica Remedia adeo primum eſſe, ut mirari oporteat, Majores noſtros

ante eumdem detectum & allatum, præſertim in epidemicis malignarum intermittentium conſtitutionibus, Medicinam agere potuiſſe, procul dubio nova eaque efficacior hujus Medicamenti ſpecies, quæ etiam in longè minori quantitate certiùs & promptiùs medetur, tam pro Medicorum voluptate, quam Ægrorum ſalute imcomparabilis pretii res æſtimanda eſt.

Corticem *Rubrum*, præ ſpecie *Tenui* & *Convoluta*, quæ hactenus ſola nobis cognita fuit, dictas vires poſſidere & hæc encomia mereri, unuſquiſque illico augurabitur, qui vel leviter in hac materia verſatus dotes ejus ſenſibiles perſpexerit: non ſolùm etenim compactior, ponderoſior, ſub dentibus fragilior, in ore multum ſolubilior, & hinc manifeſtè reſinoſior apparet; ſed etiam activa ejus principia perfectiùs elaborata, magis evecta; hinc præſtantiora videntur. Ejus amarities, quamvis intenſior ſit, minùs tamen

ingrata eſt, & acerbitatem illam, quæ in optimo Cortice *Ordinario* notatur, non habet adjunctam: ita ut duabus his Corticum ſpeciebus inter ſe collatis, & re bene perpenſa, illas quidem ex eadem Arbore deſumi; ſed Corticem *Ordinarium* immaturum, adhuc crudum, & ad imperfectiores Arboris partes pertinere oporteat concludere.

Optimè LISTERUS, cujus ævo a Cortice *Lato* & *Rubro* ad *Tenuem* & *Convolutum* deventum eſt, hanc rem perſpexit; ut mirari oporteat, non obſtante authoritate tanti viri, Corticem *Tenuem* & *Convolutum* prævaluiſſe: dicit enim: " porrò, ſi ſit
„ potior aliquis delectus in Cortice, ipſi
„ nos Medici videmur culpandi, qui peſ-
„ ſimum volumus ex inadvertentia. Nam
„ is Cortex, me judice, optimus eſt, qui
„ e trunco Arboris; mox qui e ramis ma-
„ joribus; deinde qui e ramuſculis habe-
„ tur: at ex ipſis ſummis & tenuioribus

„ ſurculis non niſi CRUDUS & ACERBUS
„ Cortex detrahitur. Atque hoc ſatis
„ conſtat ex analogia Corticis noſtrarum
„ Arborum, (quercûs puta) qui matu-
„ rior, magis concoctus, majorumque
„ longè virium, quo craſſior vetuſtiorque,
„ vel ipſis Coriariis notiſſima res. „ (*)
Hinc apparet, hunc Authorem Corticem Peruvianum *Latiorem*, ſeu *Rubrum*, quem ante viginti annos ſe in uſu vidiſſe paulò inferiùs aſſerit, e trunco vel majoribus ramis deſumptum, & efficaciorem; *Tenuem* verò & *Convolutum*, quem ſolum hucuſque novimus, ex ejuſdem Arboris ramuſculis, & deteriorem credidiſſe.

Ex eodem loco mihi manifeſtum videtur, potiùs Medicorum inadvertentia (ut LISTERUS ait) & præjudicata opinione, quam neceſſitate ob Corticis *Latioris* & *Rubri* defectum, aut politicâ œconomiâ,

(*) De Hydrophobia pag. 71. Edit. Amſtelod.

ut celeberrimus FOTHERGILL hujus opuſculi pag. 115. inſinuat, ad *Tenuem* & *Convolutum* Corticem deventum eſſe.

Præſtantioribus his Corticis rubri dotibus ſenſibilibus ejusdem vires medicas revera proportionatas eſſe, in decurſu hujus opuſculi multis præclarorum Virorum teſtimoniis lector ſtabilitum inveniet. Has authoritates utut maximi æſtimarem, ipſe tamen, ſimul ac hoc Medicamentum obtinere potui, quid poſſet, experiri volui. Opportunè inter plures intermittentium caſus hunc pertinaciſſimum ad manum habebam.

J. DE Vos octodecim circiter annorum Juvenis, Cæmentarius, menſe Septembri anni præteriti *Oſtendæ* opificium ſuum exercens quartana corripitur, quæ eâdem typo & ferocia pertinaciſſimè eum torquere pergit uſque ad hujus anni ineuntem Aprilem. --- Tum a præclaro hujus Urbis Mercatore, in cujus cella vinaria non

obſtante morbo ſtrenuè laborabat, mihi commendatur. — Faciem mihi exhibebat Æger ictericam, inflatam; ut in Hydropem pronum pronuntiaſſes. — Febrim quantocyus fugandam eſſe ratus, duas uncias Corticis ordinarii inter duos paroxiſmos aſſumendas præſcripſi. — Hoc Medicamentum ab honeſto Pharmacopœo optimum habuit, & ſtato tempore abſumpſit. — Hinc febris non ſolùm non ſublata, ſed etiam paroxiſmi ſolitâ ferociâ & omnino immutati redierunt. — Corticem rubrum tum continuò expectans hunc Ægrum primo tentamini deſtino: tempeſtatem itaque accuſo, diætam præſcribo, & bono animo eſſe jubeo. — Initio Maji voti compos factus Ægrum illico arceſſo. — Febris typus eadem; paroxiſmorum violentia potiùs aucta; Ægri habitus deterior erat. — Dedi ei unciam & dimidiam Corticis rubri, partitis doſibus apyrexiæ tempore ſumendam. — Hoc Remedio paroxiſmus promptiſſimè & integrè ſublatus

eſt. --- Æger ad præcavendam recidivam adhuc uncias duas Corticis ordinarii aſſumpſit. --- Hactenus, poſt elapſas ſex hebdomadas, omnino immunis manſit & optima fruitur valetudine.

In allato caſu febris tam promptè & perfectè fugata fuerat, ut me pœniteret tantam Corticis rubri quantitatem adhibuiſſe. Ruſtico itaque ex adjacenti Vico, circiter quadragenario, quartana a quatuor menſibus laboranti, quæ pluries Cortice *ordinario* incaſſum fugata fuerat, aliquot diebus poſtea ejusdem Medicamenti tantùm dimidiam unciam, eodem modo ut in ſuperiori caſu, ſumendam dedi. --- Octiduo poſt paroxiſmum primo ictu omnino ſublatum fuiſſe retulit. --- Ad præcavendam recidivam præſcripſi quotidie duas dragmas Corticis *ordinarii*, promiſitque ſe poſt quatuordecim dies denuò ad me rediturum. --- Vir quadratus & ingratus hactenus promiſſis non ſtetit.

Ex his & quibusdam aliis casibus, quos hic non addo, quia, cum intermittentes vernales essent, & Cortex *ordinarius* præviè non fuisset tentatus, minùs concludunt, mihi omnino affirmabatur, quod in pluribus hujus opusculi locis de hoc Cortice asseritur; dimidium scilicet illius quantitatis, ad quam Cortex *convolutus* passim præscribitur, satisfaciendo omni scopo sufficere. Sola hæc prærogativa, quamvis nulla alia dote Cortici *vulgari* præstaret, considerata difficultate, quæ nobis non rarò occurrit, aversantibus Ægris nauseosum hoc Medicamentum in sufficienti quantitate exhibendi, eumdem maximè commendabilem & summi momenti rem redderet.

Non aliud Corticis rubri Præparatum, quam Extractum, tentavi. Id præterquam quod dotes externas præstantiores, quam Extractum Corticis *ordinarii*, possideat, efficacioribus etiam viribus medicis

pollere ſuſpicor. En unicum experimentum.

N. Boote, novemdecim annorum Juvenis, Lapicida, circa finem menſis Maji a Patre ſuo pro implorando auxilio ad me ducebatur. A tribus menſibus intermittente laborabat, quæ omnes typos percurrerat; jam tertiana erat. --- Ægri facies icterica, crura & abdomen tumidiſſima, reſpiratio adeo anheloſa erat, ut vix incedere poſſet. --- Singulo paroxiſmo hæc ſymptomata augebantur. — Dragmas ſex Extracti Corticis rubri ei dono dedi, ut apyrexiæ tempore abſumeret. --- Rediit poſt quatriduum. --- Febris primo ictu fugata fuerat. --- Omnia ſymptomata adeo emendata erant, ut Juvenem vix agnoſcerem. --- Sumpſit adhuc unciam unam Corticis *ordinarii*. --- Optimè ſe habuit. --- Poſt quatuordecim dies levem tamen recidivam, nullo pravo ſymptomate ſtipatam, paſſus eſt. --- Extractum *Corticis ordinarii*,

etiam in longè majori quantitate datum, numquam mihi ſe tam efficax præbuit.

His omnibus ſine partium ſtudio perſpectis, non inutilem laborem credidi, hujus opuſculi interpretatione, hoc Medicamentum in his Regionibus notius reddere: quod ſi quibusdam cujusvis novi oſoribus, aut quovis alio intuitu obcœcatis, ut in Anglia evenit, minùs arriſerit, ſciant, me proximi commodum, bonorum exiſtimationem, neminis applauſum conſectari.

AUTHORIS INTRODUCTIO.

INsignis favor, quo prior eaque numerosa Editio Dissertationis meæ de Cortice Peruviano Rubro excepta, & paucis hebdomadibus divendita fuit, hanc alteram moliri mihi facilè persuasit. Adfert hæc plura adhuc testimonia, quibus deductæ in priori doctrinæ & opiniones firmentur. Adeo luculentur jam probata est Corticis rubri in fugandis febribus intermittentibus infallibilitas, ut res maximi momenti pro Generis Humani Commodo evaserit.

Animadvertet Lector, me repetitis & accuratis Observationibus ductum plura in hac editione, præsertim quæ ad febres intermittentes complicatas & Rheumatismum acutum spectant, addidisse.

Non ſine oblectamento Lectores certiores reddo, nunc amplam copiam rubri Corticis poſſe obtineri, neque majus pretium, ut ſpero, illos ab ejus uſu abſterrebit: viliori enim conſtare invenietur, ſi conſideratur dimidium illius quantitatis, ad quam Cortex ordinarius adhiberi debet, ſufficere.

Timor ſubeſt, ne Mercatorum aviditate, præſertim dum ſub forma pulveris divenditur, adulteretur. Ita meritis & famæ ejus detrahi poſſet. Non ſine labore itaque varia ejuſdem ſpecimina collegi, eaque pro vario virtutis gradu ordine digeſſi. Ita præſertim junioribus Medicis, prælectionum mearum auditoribus, prodeſſe ſtudui; cùmque Cortex ruber Pharmacopolis ruri degentibus hactenus ferè ignotus ſit, frequens illorum pro hac re ad me recurſus hanc methodum neceſſariam reddidit.

Efficacia hujus Remedii tam firmo ſtat talo, ut nullius momenti res videri debeat, ſi Botanici exiſtimarint, necdum ſatis liquere, an ad LINNÆI *Cinchonam Officinalem*, an ad aliam Arborem pertineat. CL. HOPE, in Univerſitate Edinburgenſi Botanices Profeſſor & mihi Amicus, in ſuis ad me litteris notat: " in eo rei cardo vertitur, „ an Cortex ruber, qui *Ordinario* multò „ efficacior videtur, obtineri poſſit. Utrum „ vero ad *Cinchonam Officinalem* LINNÆI „ pertineat, nec ne, ſecundaria tantùm „ & minoris momenti quæſtio eſt. Veſ- „ tram tamen ſententiam probabiliorem „ exiſtimo. Diſſertatio veſtra omnes circa „ hanc rem attentiores efficiet, & hujus „ Remedii uſum extendet. „

Sequentibus pagellis modo prælo commiſſis, contigit mihi copiam optimi Cor-

ticis rubri a Mercatore Hiſpano allatam videre. Conſtabat pro magna parte fruſtis tam parvis, quam Cortex ordinarius. Sub hac forma tamen rubedinem, ſed magis ad Cinamomi colorem accedentem, ſervabat. Evidenter magis compactus & ponderoſior erat, quam Cortex ordinarius. Admodum reſinoſus videbatur. Stratum exterius tenue, albicans & rugoſum erat. Admodum fragilem ſe præbebat, & manifeſta argumenta exhibebat, ſe Corticem tenuem & convolutum eſſe ejusdem Arboris, e qua Cortices latiores, rubri, qui in eadem ciſta continebantur, deſumpti erant. Id tamen ſententiam meam non minùs probabilem reddit. Fortè tantùm *Cinchonæ Officinalis*, ab Arborum ætate; ſolo, vel ſitu pendens, varietas eſt.

CORTICIS PERUVIANI RUBRI HISTORIA.

JAm dudum ſuſpicabar Peruvianum Corticem, qualis apud nos paſſim in uſu eſt, Corticis ſpeciei ab Authoribus, qui in principio de hoc Remedio tractarunt, laudatæ & adhibitæ efficaciâ cedere. MORTONUS & SYDENHAMUS, uterque Anglus, in quorum Operibus vires medicæ hujus Medicamenti in febribus intermittentibus aliiſque ferè tamquam infallibiles extolluntur, id mihi præcipuè probabile reddebant. Illorum Virorum ævo Cortex Peruvianus tenuis, in tubulos convolutus, qualis apud nos præferri conſuevit, non memoratur. Materiæ medicæ ſcriptores illis coætanei notant Corticem conſtare fruſtis latioribus, ma-

gis compactis, & coloris ferruginei. (*a*) Cortici rubro hæ dotes conveniunt, cujus interna superficies Ochram colore æmulatur, & medium seu resinosum stratum Lapidem Hæmatitem.

Mirabatur celeb. DE LA CONDAMINE, dum ei a D. BLACHYNDEN Societatis, quæ pro agenda in Mari Meridionali Mercatura in Anglia erecta est, tunc temporis Panamæ Rectore narrabatur, Artis Pharmaceuticæ & Materiæ Medicæ Scriptores Anglos semper Cortices tenues, convolutos prætulisse; dum interim Novæ Hispaniæ incolæ pluris facerent latiores. (*b*) Illarum opinionum diversitatem non

(*a*) Cortex crassitie mediocri, foras scaber, paululum canescens aliquando Musco obductus, intus lævis, coloris ferruginei, saporis acris & intensè amari. Autumno colligitur & Cortex circumcirca delibratur, tam trunci quam ramorum.

Dalei Pharmacologia, pag. 201. anno 1692.

(*b*) Ab aliquibus quatuor species Corticis Peruviani recensentur; passim tres: alba, flava & rubra. Loxæ mihi relatum est tres has species sola efficacia differre, albam vix vires aliquas possidere, & rubram flavâ multò præstantiorem esse.

Arbores, e quibus in principio Cortices, qui tum valde largi erant, desumpti sunt, omnes perierunt: decorticatio enim in adultis Arboribus peracta eas certissimè enecat. Experientia comprobatum est, dum idem in junioribus instituitur, aliquas deperire, sed majorem partem emergere. Ad hanc operationem ordinario cultro utuntur,

ex alia circumſtantia poſſum deducere, niſi quod latiora Corticis fruſta cum tenuioribus

quod utraque manu operarius tenet, & altiori, quo poteſt, loco in Corticem adigit: ſic perſcindendo deſcendit. Non videntur juniores Arbores adultis vicinæ, cum in eodem ſolo creſcant, & eumdem ſitum habeant, minorem iis efficaciam poſſidere. Differentia, ſi qua eſt, fortè a diverſa Arborum ætate pendet. Paucæ jam aliæ quam juniores videntur. Non memini me brachio craſſiores & duodecim aut quindecim pedibus altiores vidiſſe. In juniori ætate abſciſſæ novos ramos e trunco emittunt.

Loxæ mihi etiam narrabatur olim craſſiores Cortices magni æſtimatos, & etiam tamquam quid rari habitos fuiſſe. Jam tamen tenues præferuntur, qui, cum minorem locum occupent & arctiùs ſe pro exportatione compingi ſinunt, fortè Mercatoribus majus lucrum præbent. Panamæ tamen Societatis Anglicæ, quæ in Mari Meridionali Mercaturam agit, rector, cui omnis Peruvianus Cortex in Europam tranſvehendus commiſſus eſt, mihi aſſeverabat, analyſim chemicam & experimenta in Anglia inſtituta tenui cortici faviſſe, & eumdem ideo præferri. Probabile videtur Cortices craſſos ideo minoris habitos & rejectos eſſe, quia humiditatem facillimè contrahunt, & difficillimè ritè exſiccantur. Vulgi præjudicium jubet, ne Cortex aliquid efficaciæ ſuæ diperdat, ut Arbor decreſcente luna & in ea parte, qua orientem reſpicit, decorticetur. Hæ circumſtantiæ, ut etiam Cortices in Monte *Cajanumæ* collectos fuiſſe, affirmabantur a notario publico anno 1735., dum *Marchio de Caſtelfuerte* copiam hujus Remedii Loxâ ſecum in Hiſpaniam tranſvehendam curabat.

Memoires de l'Academie de Scien. Ann. 1738.

in has regiones allata fibrosæ, spongiosæ, vel ligneæ passim sint texturæ; probabiliter humiditate vitiata, vel e marcidis & emortuis Arboribus desumpta.

Has rationes aliqui Pharmacopolæ, tamquam urgens argumentum, adversùs rubri Corticis usum proposuerunt. Non desunt profectò, qui ejus introductioni sese opponent; donec major copia allata & æquabiliùs inter eos divisa sit, vel donec magnam, quam possident, communis Corticis quantitatem divendiderint.

Cum textura rubri Corticis magis compacta sit, & resinosum stratum arctè inter duo alia compressum & defensum, hinc ejus odor & sapor minus extricati & obvii sunt. Evidenter omni alia specie ponderosior est, &, cum nativas suas dotes meliùs servaverit, majori etiam cura præparatus & exsiccatus videtur.

Re attentè perpensa probabile arbitror trunci & majorum ramorum Corticem esse. In hac opinione me confirmat judicium cl. Virorum mihi Amicorum WITHERING & FOTHERGILL, qui in suis ad me litteris notant in Cortice trunci & majorum ramorum Quercûs essen-

tiales & activas particulas efficaciores & in majori quantitate, quam in ramusculis & surculis, qui imperfectioris fabricæ sunt, existere. Fortè juniores Arbores necdum perfectam maturitatem nactæ, & quæ ideo debiliores & minùs efficaces Cortices præbent, tenuem & convolutum Peruvianum Corticem largiuntur. (*c*)

Ex analogia aliorum Corticum, ut etiam e soli & situs efficacia ad mutandas non solum dotes externas, sed etiam vires medicas vegetabilium ejusdem speciei, videor mihi audacter posse concludere, differentiam, tam quoad magnitudinem, quam quoad colorem, inter rubrum Corticem & communem dependere vel a magnitudine ramorum, vel ab aliis cau-

(*c*) D. Arrot, Chirurgus in Scotia, qui in loco natali Corticem collegit, asserit Corticem tenuem tam magni habitum in Anglia ad juniores Arbores pertinere, hasque plerumque post Decorticationem vegetas manere, quod numquam accidit adultioribus. Id manifestò probat primum Corticem in Europam allatum frusta crassa, larga, & e majoribus Arboribus desumpta suppeditasse, hujusque penuria postea ad tenues juniorum Arborum Cortices deventum esse. D. Arrot & reliqui Peregrinatores, unanimi judicio, rubrum reliquo Cortici præferunt.

ſis, quæ inter Arbores non conſtituunt ſpecificam diverſitatem. Dum latiores quercûs Cortices cum ramuſculorum ex eadem arbore deſumptorum Corticibus confero, priores coloris rubri, poſteriores pallidioris invenio. Scabrities latioris Corticis quercûs & omnes ejus dotes externæ habent ſe ad dotes tenuis Corticis ejuſdem arboris, ut Cortex Peruvianus ruber ad communem. Non ſolum deinceps a Coriariis, quibuſcum pro capiendo conſilio de hac re ſermonem habui, didici, quod latior Cortex quercûs vires magis adſtringentes, quam tenuis, poſſideat; ſed etiam utriuſque infuſionem inter ſe comparans, & ſtrictiſſimis experimentis, quibus vis adſtringens evinceretur, ſubmittens, illis ſcilicet ferri ſolutionem affundendo, manifeſtò expertus ſum, infuſione latioris & magis compacti quercûs Corticis, majorem quantitatem præcipitati & coloris nigrioris, quam infuſione tenuium ramuſculorum Corticum, obtineri. Plures Medicos collecta a me Corticum quercûs ſpecimina convicerunt, eoſdem Cortices opinionem, quod Cortex ruber ad *Cinchonam Officinalem* LINNÆI pertineat, egregiè illuſtrare, & plurimùm confirmare.

Sequens POMETI Corticis Peruviani deſcriptio ulterius hanc doctrinam ſtabilit „Kinkina „ eſt Cortex Arboris in Regni Peruviani Pro„ vincia *Quitto*, & ſpeciatim in montibus Op„ pido *Loxæ* vicinis, creſcentis. Arbor mag„ nitudine Ceraſum æmulatur. Ejus folia ro„ tunda & dentata ſunt. Florem dat oblon„ gum, rubrum, qui abit in capſulam ſeu ſi„ liquam, nucleum compreſſum, album, te„ nui tunica obductum, amigdalæ ſimilem „ includentem. Arbores in valle provenien„ tes, quia plus nutrimenti ex hoc ſolo attra„ here poſſunt, Corticem præbent craſſiorem, „ lævem, exterius coloris albidi vel flavican„ tis, interius pallido-fuſci. Qui ex Arbori„ bus in Montis ſummitate creſcentibus de„ ſumitur præſtantior eſt, exterius inæqualis, „ coloris magis fuſci; interius obſcurioris: me„ dius inter ſummitatem & vallem locus magis „ ſcabrum & fuſciorem ſuppeditat. Omnium „ harum Arborum Cortices amari ſunt; ſed „ minùs reliquis e valle deſumpti.

„ Ex dictis ſequitur ima loca Corticem mi„ noris efficaciæ præbere, quia in his nutritus „ particulis terreſtribus & aqueis magis abun-

„ dat, quam ille, qui altiori loco provenit,
„ & qui ob contrariam causam præstantior est.
„ Medium Montis omnium tamen optimum
„ largitur, quia succus nutritius nec deficit in
„ hoc solo, nec excedit. Alia Corticis Peru-
„ viani species e Montibus *Potosi* adfertur:
„ hæc fuscior, magis aromatica, intensius ama-
„ ra, sed multò reliquis rarior est.

„ Dotes in Cortice desiderandæ sunt, ut
„ sit PONDEROSUS; SUBSTANTIAM habeat FIR-
„ MAM, COMPACTAM & SICCAM. Cave a
„ putrido; ab humido, ab illo qui diffractus
„ in pulverem fatiscit: cave ab illo, qui
„ comminutis frustulis aliisve sordibus con-
„ stat, ut quandoque in fundo cistæ inveni-
„ tur. Præferatur constans frustris tenuibus,
„ quæ liviter inæqualia, coloris nigricantis,
„ musco canescente vel parvis filicis foliis
„ hinc inde obsessa in externa facie sunt;
„ in interna coloris RUBICANTIS; saporis amari
„ & valde ingrati. Rejiciatur, qui dum fran-
„ gitur totum filamentosum se exhibet, qui
„ coloris subrufi est, ut etiam ille, qui
„ exteriùs Cinamomum colore æmulatur; licet
„ ab illis, qui hoc Medicamentum non ap-

„ prime norunt, tanti habeatur, ut multò
„ faciliùs quam, qui coloris nigricantis eſt,
„ vendatur. Cavendum quoque ab eo, cui
„ fruſta ligni adhærent.

„ Primùm circa annum 1650. a Cardinali de
„ LUGO Jeſuita e Regno Peruviano in Gal-
„ liam allatus eſt, ubi tanti tum habebatur, ut
„ pondus æquali auri pondere venderetur. (*d*)

Ab eo tempore, quo prior hujus opuſculi editio in lucem prodiit in aliis regionibus etiam inveſtigationes inſtitui juſſi, & ex illis planè convictus ſum nullum ſupereſſe dubium, quin pertineat ad *Cinchonam Officinalem.* A D. BABBINGTON Noſocomii Guyani Pharmacopæo rubri Corticis ſpecimen dono obtinui, quod ramulum Corticis tenuis ordinarii, ut allatus eſt, continet.

Corticis rubri ſpecimina vidi, quæ fruſtis tam magnis conſtabant, ut nimia eſſet ligneæ partis proportio: hinc uſui medico hic minùs

(*d*) Verſio hæc latina ab anglica Authoris hinc inde differt: quoad eſſentialia tamen, illas nimirum dotes Corticis Peruviani a POMETO delineatas, quæ ad rubrum ſpectare videntur, non diſcrepant. *Interpres.*

aptus erat, quam qui fruſtis conſtat minoribus. Eò revera frequenti circa hanc rem experimentorum inſtitutione veni, ut datis quibuſvis duobus Corticis fruſtis, Reſinæ proportionem præcisè queam determinare.

Oppoſuerunt aliqui Corticem noſtrum a *Mahogano* Cortice non diverſum videri: verùm hoc examini ſubjecto & cum priori collato, conſultis etiam Viris, quibus *Mahoganus* bene notus & familiaris erat, perſuaſiſſimum habeo nullum fundamentum exiſtere, quo hæc opinio niteretur. Si naturæ ſcrutatores, data meliori occaſione hanc ſubjecti noſtri partem inveſtigandi, poſtmodum probaverint ad Arborem genere vel ſpecie a *Cinchona Officinali* diverſam pertinere, hoc equidem inventum argumenta, quibus hujus Corticis præſtantia ſtabilitur, non elidet; & profectò felicitati noſtræ congratularer, ſi potiùs Angliæ Coloniæ, quam ſolius Americæ Meridionalis productum foret.

Non pauci viri docti & perſpicaces, qui in illam ſententiam inclinabant, ut Corticem rubrum ad diverſam Arborem referrent, illico eam mutabant, dum ejus Tincturam, Decoctum, vel Infuſum, quæ ejus præparata genui-

num, ſed magis ſaturatum & evectum, Corticis ordinarii ſaporem, ut etiam odorem, exhibent, explorabant. Suſpicor nos diu a vero deviaſſe, dum ex externæ faciei colore de hujus Medicamenti viribus judicavimus. Corticis rubri ſpecimina admodum reſinoſa vidi, cujus externa tunica valde alba; interiora verò ſtrata compacta erant, & colorem obſcurè rubrum, aut ochreum exhibebant. Viginti ciſtas, ut allatæ erant, perſcrutatus ſum, & quantitatem non exiguam Corticis tenuis ordinarii rubro immixtam in omnibus agnovi.

Si hujus opuſculi executio rei gravitati reſponderet, omnium certè attentionem magis, quam quodvis aliud artis medicæ argumentum, excitaret. Hoc illi non negabunt, qui malignitatis & lethalitatis intermittentium & remittentium febrium in omnibus regionibus, præſertim calidioribus, teſtes oculares fuerunt. Lethalitas illa minùs ignorantiæ & imperitiæ illarum regionum Medicorum, quam ordinarii Corticis inefficaciæ debetur.

Notum eſt in calidioribus regionibus multò plures febribus epidemicis, quæ plerumque a climate & anni tempeſtatibus pendent, oc-

cidi, quam hoſtium armis. In omnibus ferè febribus mali moris, quæ in India tam occidentali quam orientali noſtros vexant & interimunt, Cortex præcipuum Remedium eſt. Rem itaque pro nobis magni momenti arbitror, ut claſſibus & exercitibus noſtris de hoc Cortice rubro, qui numquam vel rariſſimè medentes fallit, liberaliter provideatur.

Objecit pharmacopola hunc Corticem adeo efficacem & activum eſſe, ut Remedium non innocuum conſtituat. Reſpondi Vinum aquæ mixtum tutius eſſe in manu imperiti Medici, quam purum: ex eo tamen non poſſe inferri, Vinum non eſſe præſtantius Cardiacum, quam aqua. Idem argumentum adhiberi poſſet ad probandum debiliora & effœta Remedia, quia mitiùs operantur, inalteratis & perfectioribus ejuſdem ſpeciei præferenda eſſe. Credo ego generaliores & magis fundatas querelas eſſe adversùs defectum efficaciæ Corticis vulgaris; minimè vero Medicos conqueri, quod nimis ſe præbeat activum. In hujus aſſerti probationem lectorem relego ad adjunctas epiſtolas, quæ manifeſtò probant, hac hujus anni conſtitutione febres intermittentes fuiſſe adeo re-

ſtractarias & pertinaces, ut ordinario Cortici reſiſtentes ſolo rubro ſuperari potuerint.

Quamvis allato hoc Cortice illico bene de eodem augurarer, multum tamen aberat, ut eam præſtantiam ei adſcriberem, quam tot collectis undique clarorum Virorum, in remotis ab hac Metropoli locis praxim exercentium, teſtimoniis jam probatam cenſeo. Plures litteræ majori ejus efficaciæ adeo ſuffragantur, ut appareat eas convicto multis accuratis obſervationibus animo fuiſſe dictatas.

Pluribus poſſeſſionum noſtrarum Medicis, mihi amicis, rubrum Corticem tentare perſuaſi. Lætus obſervationum illarum ſummam, ſimul ac ad me pervenerint, cum publico communicabo. Efficacior Cortex præſertim in illis regionibus deſideratur, ubi a paroxiſmorum febrilium ſumma violentia tantum plerumque imminet periculum. In ſequentibus obſervationibus non niſi de Corticis rubri uſu in morbis febrilibus ago: plura tamen facta poſſideo, quibus probari poteſt, eumdem in aliis morbis, in quibus Cortex communis opem adferre ſolet, majorem etiam præſtantiam exhibere.

Cortex ruber in hanc regionem fortuitò introductus eſt. Navis Hiſpanica Limâ Gades deſtinata anno 1779. a navi anglica armatâ capta & Ulyſipponem ducta eſt. Præſertim onerata erat hoc Cortice. Pars immediatè in hanc regionem allata fuit, major Oſtendam miſſa, ubi viliſſimo pretio a quibuſdam Pharmacopolis noſtris Londinenſibus empta eſt. Ciſtæ, quibus includebatur, ejuſdem omnino fabricæ erant, ac illæ, in quibus communis Cortex ordinariò continetur, & omnis ſub generali QUINQUINÆ denominatione venditus eſt. Cum dotibus externis a communi Cortice tam evidenter differret, hinc Pharmacopolæ, primi poſſeſſores, difficulter eum poterant divendere. Tandem Pharmacopœis, in illis locis degentibus, ubi intermittentes endemicæ ſunt, eum in ſpecimen obtulerunt. Fauſti eventus ejus uſum ſecuti eos illico de majori ejus efficacia convicerunt. Statim itaque in Noſocomia introductus eſt, & præſtantiores ejus vires generaliter ſunt vindicatæ. Ab eo tempore in Noſocomiis *D. Bartholomæi*, *D. Thomæ*, *Guyano* & *Londinenſi* perpetuò in uſu eſt. Fama itaque rubri Corticis meliùs ſtabilita, & unanimi multorum Medicorum teſtimonio certius

confirmata eſt, quam quodvis aliud materiæ medicæ punctum. Affirmant mihi omnes Pharmacopolæ, quibuſcum de hac re ſermonem habeo, hunc Corticem generaliter jam & inſtanter peti. Conſtat mihi etiam in ſufficienti quantitate nunc poſſe obtineri, & cum non amplius ſit ſub excluſivo paucorum mercatorum imperio, præjudicatæ Pharmacopolarum opiniones ſenſim incipiunt deleri. Jam ab aliquo tempore nihil mihi ampliùs de nocivis ejus ob nimiam activitatem dotibus objectum eſt.

Probè gnarus quam difficile ſit facta ſtabilire, quibus Medicamentorum vires, aut aliud punctum ad animalem œconomiam ſpectans probetur, ſententiam plurium ingenioſorum & ſedulorum Medicorum, quibus frequens occaſio fuerat rubrum Corticem tentandi, efflagitavi. Hanc cautelam eò magis neceſſariam judicavi, quia convictus ſum novitatis amorem & nimiam credulitatem, facta admittendo, quæ dubiis authoritatibus nitebantur, magis Medicinam, quam quamvis aliam ſcientiam corrupiſſe, & eidem plus nocuiſſe, quam abſurdiſſimæ & futiliſſimæ hypotheſes, quarum errores facilè plerumque deteguntur.

DE CORTICIS RUBRI QUALITATIBUS SENSIBILIBUS.

CONſtat fruſtis largioribus & craſſioribus, quam Cortex Peruvianus communis. Evidenter conſtat tribus ſtratis: extimum tenue, inæquale, coloris rubro-fuſci eſt, & plerumque muſco tegitur. (*e*) Medium craſſius, magis compactum & coloris eſt obſcurioris. Hoc admodum fragile eſt, & manifeſtò majorem quantitatem materiæ inflammabilis, quam quævis alia Corticis ſpecies, videtur continere: ut hinc appareat præcipuè in eodem reſinoſam hujus Corticis partem hærere.

Intimum fibroſam, ligneam ſubſtantiam exhibet, & coloris rubri magis rutili eſt.

Fruſta integra eo modo franguntur, quo ſecundum Materiæ Medicæ Scriptores præſtantiſſimæ notæ Peruvianus Cortex frangi oportet.

Dum in pulverem redigitur ſtratum medium, maximam reſinæ partem continens, magis quam alia ſtrata, piſtillo reſiſtit. Ad hoc

(*e*) Nuper optimum rubrum Corticem vidi, cujus exterior facies erat coloris albicantis, & interior obſcurè rubri. Admodum reſinoſus, compactus & ponderoſus erat.

præſertim attendi debet, dum in pulverem tenuiſſimum redactus adhibetur. Odor ejus, qui in pulvere vel ſolutione melius detegi poteſt, manifeſtò magis aromaticus eſt; ſapor magis amarus quam Corticis communis.

HISTORIA EJUS CHEMICA ET PHARMACEUTICA.

EXPERIMENTUM PRIMUM.

UNciæ unæ Corticis rubri in pulverem tenuiſſimum redactæ additæ ſunt unciæ ſedecim aquæ diſtillatæ. Poſt infuſionem viginti quatuor horarum liquor cautè percolatus eſt. Idem experimentum cum Cortice communi inſtitutum eſt.

Duæ hæ infuſiones multùm colore differebant. Cortice rubro facta multo obſcurioris erat: ejuſdem odor & ſapor multò magis evecti erant, quam alterius. Secundùm judicium plurium ſpectatorum Virorum, qui utramque Infuſionem guſtarunt, Infuſio frigida rubri Corticis evidenter magis ſaturata erat, quam fortiſſima Decoctio Corticis communis.

EXPERIMENTUM SECUNDUM.

Unciis duabus Infusionis frigidæ rubri Corticis addebantur viginti guttulæ *Tincturæ Florum Martialium.* (*f*) Mixtum illico induit colorem obscuriorem, pelluciditatem amisit, & post breve intervallum pulverem nigrum deposuit.

EXPERIMENTUM TERTIUM.

Unciis duabus Infusionis frigidæ Corticis communis eodem modo addebantur guttæ viginti *Tincturæ Florum Martialium.* Mixtum aliquamdiu pelluciditatem retinuit; postea colorem obscurum induit: nihil tamen, ut in secundo experimento, in fundum præcipitatum est.

(*f*) FLORES MARTIALES.

R: *Colcoth: Vitriol:* vel *Limat: Ferri* lib: j.
Sal: Ammon: lib: ij.

Misc. & sublimentur in retorta. Sublimatum cum residuo in fundo retortæ denuo misceatur, & reiteretur sublimatio, donec flores prodeant coloris lætè flavi.

Pro conficienda *Tinctura Florum Martialium* sumuntur unciæ quatuor *Flor: Martial:* & *Spir: Vini Rectificatissimi* pinta una. Diger. simul, tum liquor colet.

Interpres.

Experimentum Quartum.

Unciæ uni Corticis rubri in pulverem groſſum redacti additæ ſunt unciæ ſedecim aquæ diſtillatæ. Ebullierunt ſimul ad medietatis conſumptionem: tum liquor calidus adhuc per linteum trajectus eſt. Idem experimentum, eiſdem cautelis ſervatis, cum Cortice communi inſtitutum eſt. Decoctum rubri Corticis, non minus ac ejus infuſum, ſaporem & odorem manifeſtò præſtantiores & magis evectos exhibuit. Majorem etiam quantitatem reſinoſæ ſubſtantiæ ſub refrigeratione depoſuit, quam Decoctum Corticis communis. Colore pariter evidenter differebant.

Experimentum Quintum.

Unciæ uni Corticis rubri in pulverem groſſum redacti additæ ſunt unciæ octo *Spiritus Vini probati.* Poſt hebdomadæ digeſtionem Tinctura percolata eſt.

Idem experimentum, eiſdem ſervatis, cum Cortice communi repetitum eſt. Tam Tinctura illa Corticis rubri, quam ejuſdem Reſina additione aquæ præcipitata guſtatæ, ſaporem fortiorem, ut etiam odorem, exhibuerunt, quam eadem præparata Corticis communis.

Tinctura hæc ſpirituoſa Corticis rubri etiam magis colorata eſt, quam altera.

EXPERIMENTUM SEXTUM.

Utrique reſiduo ſupradictarum Tincturarum denuo additæ ſunt octo unciæ *Spiritus Vini probati.* Utrumque mixtum ſtetit in balneo arenæ per ſpatium viginti quatuor horarum. Poſtea in infuſione remanſerunt per hebdomadam. Interim de tempore in tempus, ut occaſio ſe obtulit, agitata ſunt: tum percolata. Tinctura Corticis rubri evidenter alterâ fortior apparuit.

Utraque Tinctura experimenti quinti & ſexti leni calore ad conſiſtentiam reſinoſi Extracti evaporata eſt.

Extractum Corticis rubri læve, homogeneum, inſpiſſatum Balſamum Peruvianum æmulans ſe præbuit. Tincturæ ſuæ ſaporem & odorem omnino ſervabat.

Alium evidenter aſpectum Extractum Corticis communis habuit. Craſſum videbatur & granuloſum. Nullatenus etiam Tincturæ ſuæ dotes retinuerat.

Quantitas Extracti Corticis rubri multò major erat, quam Extracti ejuſdem ponderis

Corticis communis: verùm, cum neutrum residuum absolutè iners redditum sit, exacta proportio determinari nequit. (g)

(g) Viginti sex libris Corticis rubri additæ sunt viginti sex congii *Spiritus Vini probati*. Post protractam digestionem Tinctura distillata reliquit Extracti Spirituosi libras duodecim & dimidiam. E residuo quatuor libræ Extracti Aquosi obtentæ sunt.

In alio experimento triginta libræ Corticis rubri inferioris qualitatis eodem modo tractatæ suppeditarunt tantùm undecim libras & dimidiam Extracti Spirituosi, & quatuor libras & dimidiam Aquosi.

Eadem quantitas optimi Corticis Peruviani communis ad summum tantùm largitur libras septem & dimidiam Extracti Spirituosi.

Observari meretur facta hic adducta niti authoritate præclari Pharmacopœi, qui in utroque experimento quantitatem extracti ordinaria methodo e data quantitate Corticis rubri obtentam accuratè annotavit. Animadvertat etiam Lector, quod Spiritus Vini pro paranda hac Tinctura adhibitus fortè quidem Resina saturatus fuerit, sed quod residuo non fuerit affusa nova ejusdem quantitas, quæ, omnem resinosam partem extrahendo, majorem proportionem Extracti Resinosi suppeditasset, & consequenter paucum vel nullum Extractum Aquosum reliquisset. Quamvis hæc experimenta eo intuitu non fuerint capta, ut in publicum prodirent; ea tamen satis accurata esse persuasum habeo. Magis profectò concludunt, quam experimenta cum multò minori quantitate Corticis instituta.

EXPERIMENTUM SEPTIMUM.

Parvum coclear utriuſque Tincturæ in experimento quinto præparatæ duabus unciis Aquæ infuſum eſt. Reſinoſa præcipitatio Corticis rubri non ſolùm copioſior erat, quam Corticis communis; ſed etiam celeriùs vitri fundum petebat. Præterea, quamtum ex odore & ſapore judicare licuit, major quantitas ſubſtantiæ rubri Corticis in Aqua ſoluta remanſit; quam alterius.

EXPERIMENTUM OCTAVUM.

Experimenta ingenioſi D. PERCIVAL amici mei imitatus guttas aliquot *Spiritus Vitrioli tenuioris* addidi unciis duabus infuſi Aquoſi utriuſque Corticis. Acidum plus de ſapore ſuo amiſit in infuſione rubri Corticis, quam in altera.

EXPERIMENTUM NONUM.

Decoctum utriuſque Corticis præparatum eſt capiendo utriuſque unciam eamdemque coquendo in pinta & dimidia Aquæ ad pintam unam. Decoctum rubri Corticis præſtantia & viribus multò alterum ſuperabat, ut in experimento quarto notatum eſt. Utrique Decoc-

tioni altera Aquæ pinta affusa est, & iterum decocta ad pintæ consumptionem. Decoctum Corticis communis sensim tum videbatur qualitates Corticis sensibiles amittere: illud rubri Corticis eas continuò servabat.

Eadem quantitas Aquæ denuo utrique affusa est, & decoctio toties repetita, donec congius Aquæ consumptus esset. Tum Cortex Peruvianus communis ferè iners redditus erat: ruber dotes suas sensibiles non multùm alteratas adhuc retinebat.

Hoc experimentum probat vulgarem praxim Corticem decoquendi ejus vires minuere.

D. Skeete Barbadensis, Juvenis ingeniosus & diligens, in Nosocomio Guyano Medicinæ studiosus, votis meis satisfacturus varia experimenta instituit, ut proportionem inter vires antisepticas rubri Corticis & illas communis stabiliret. Ex illis constitit Infusionem Corticis rubri multò meliùs & diutius putredinem a materiis animalibus arcere, quam infusum, vel ipsum etiam decoctum communis. Revera Decoctio Corticis vulgaris post pulveris subsidentiam minùs amara erat, & animalem materiam pro breviori tempore præservabat, quam

rubri Infusio. Hæc experimenta, adhibita summa cura & servatis omnibus cautelis, capta sunt, eorumque exitus plurium præclarorum Virorum examini in Nosocomio Guyano subjectus.

Ex allatis experimentis hæ conclusiones deduci possunt.

Primò, Corticem rubrum tam in Aqua quam in Spiritu Vini altero solubiliorem esse.

Secundò, eumdem multo majorem quantitatem Resinæ & particularum activarum continere.

Tertiò, partem ejus activam, licet multùm dilutam, qualitates suas sensibiles in eminentiori gradu retinere, quam saturatissima solutio Corticis communis.

Quartò, eumdem Decoctione non pati illam partium decompositionem, quam patitur Cortex communis.

Quintò, vires ejus magis adstringentes esse quam Corticis Peruviani vulgaris.

Sextò, vires ei magis antisepticas esse. In ulteriorem demonstrationem hujus asserti observari potest, tam frigidam ejus Infusionem,

quam Decoctionem menſe Junio in laboratorio Noſocomii Guyani omnem amaritiem & alias dotes medicas per quinque hebdomadas, & fortè diutius, inalteratas retinuiſſe: ubi interim Decoctum Corticis communis paucis diebus mutationis notas exhibet. Pulvis ſub refrigeratione per totum liquorem diffuſus manet in Corticis rubri decocto, quod ob eam cauſam etiam ſub quiete onuſtum manet & turbidum. In communis Corticis decocto pulvis celeriter fundum petit. Continet itaque ruber Cortex magnam copiam Mucilaginis, qualem Decocto communis Corticis addendam eſſe propoſuerat nuper D. FOTHERGILL, eo intuitu, ut reſinoſæ partes perfectiùs in liquore ſuſpenderentur, & ut decoctum etiam repoſitum turbidum maneret. Obvium eſt hoc principium ventriculi actionem & Corticis rubri digeſtionem egregiè adjuturum.

Majus ergo beneficium a rubro Cortice expectari poteſt, quam ab ulla quantitate communis. Communis cum rubro collatus iners apparet & effœtus.

Omnia hæc experimenta ſuperiùs allata coram pluribus ſpectatis Viris inſtituta ſunt.

Opinio Corticem rubrum ita poſſe Aquam frigidam imprægnare & medicatam reddere, ut certius febres intermittentes curaret, quam Decoctum vel ipſe etiam pulvis Corticis communis me movit præſertim, ut hanc materiam proſequerer. Perſuadebar in primis, quia qualitates ſenſibiles Infuſi frigidi rubri Corticis, ſecundùm allata experimenta, tam multùm præſtantiores ſunt, quam decocti communis.

Non poſſe negari arbitror allata experimenta, quæ omni adhibita cura inſtituta & pluries repetita fuerunt, ſufficienter ſtabilire, quod Cortex ruber qualitatibus ſenſibilibus communi multùm præſtantior ſit, & majorem copiam poſſideat particularum reſinoſarum & activarum, in quibus omnes Medici & Materiæ Medicæ Scriptores virtutem & efficaciam Corticis crediderunt conſiſtere.

GENERALES CORTICIS EFFECTUS IN CORPUS HUMANUM.

SEquentes annotationes applicantur Cortici vulgari; verùm perſuaſum habeo enumeratos hic effectus certiùs & præſtantiùs a Cortice rubro produci.

Corticis infusio frigida videtur manifestò appetitum excitare & digestionem promovere. Tonum intendit & consequenter auget actionem stomachi: unde succus gastricus, genuinum solidorum alimentorum Menstruum, perfectiùs elaboratur.

In pluribus casibus Cortex potiùs alvi tarditatem, ordinarium effectum vigoris & roboris intestinorum, producit. In larga dosi tamen generaliter vires purgantes exercet: verùm post breve spatium cessat hic effectus.

In sanitate & omnibus ferè morbis, qui sine febre sunt, pulsum fortiorem & pleniorem reddit.

In febribus nervosis & malignis, præsertim sub remissione pulsum fortiorem & simul tardiorem efficit.

In casibus particularibus, ubi magna debilitas febrim concomitatur, & aliqua remissionis indicia se produnt, quamvis typum admodùm irregularem servet, calorem febrilem minuit.

In febribus, quæ inflammationem topicam vel universalem diathesim phlogisticam comitem habent, quæ præcipuè pulsu, modo inva-

dendi, ſecretionum difficultate vel defectu, & moleſto vel dolorifico functionum exercitio indicantur, calorem animalem auget, & omnia ſymptomata intendit.

Profuſas & colliquativas evacuationes, præſertim cutaneas, ſiſtit; quamvis inſenſibilem perſpirationem, aut alias excretiones naturales non videatur minuere.

Omnem propenſionem in putrefactionem & gangrænam, modò atoniam comitem habeant, cohibet: ſed inconſultè adhibitus, dum cordis & vaſorum actio violentior eſt, vel nimiùm prævalet inflammatoria diatheſis, utramque promovebit. Veroſimilius videtur vires ejus antiſepticas dependere a virtute tonica, quam in ſolida exercet, quam ab aliqua actione ſpecifica in fluida animalia.

Fortè hæc doctrina explicare poſſet effectum remediorum, quæ in Scorbuto adhiberi ſolent. Morbus hic contrahitur, intertinetur & augetur omnibus illis cauſis, quæ debilitatem inducunt. Manifeſtò illum præcedit vis vitæ imminuta; ut ſecundariò tantum, & non niſi

poſito ſolidorum morbo, fluida animalia affici & alterari videantur. (*h*)

In pluribus caſibus bonam ſuppurationem promovet, & ſanioſam aut ichoroſam evacuationem mutat in pus laudabile.

Hic effectus unicè deduci poteſt e generali ejus virtute tonica: univerſalis enim vel localis atonia ſuppurationem impedit, & pertinaciam ulcerum mali moris intertinet.

Ex eodem principio ejus virtus generationem boni puris in Variolis promovendi concipi poteſt.

In ſola debilitatis periodo adhiberi poteſt.

Vidi Ægros in Variolis confluentiſſimis tempore ſuppurationis Cortice indigere, qui in progreſſu morbi, dum ſecundaria febris cum novo rigore & inflammatoriis Peripneumoniæ veræ notis illos invadebat, ſolis tempeſtivè inſtitutis & repetitis Venæſectionibus fuerunt ſervati.

(*h*) *An enquiry into the ſource from whence the ſymptoms of ſcurvy and of putrid diſeaſes ariſe. By Dr.* MILMAN.

In Subjectis irritabilibus & delicatioribus, quæ ſpecialiùs Affectionibus Scrophuloſis obnoxia videntur, & quæ plerumque affliguntur peculiaris ſpeciei inflammationibus, tonica potiùs quam evacuantia requirentibus, Cortex Peruvianus optimum Remedium eſt. Quæ de Scorbuto ſuperiùs diximus, probabiliter hic applicari poſſunt.

DE EJUS USU IN CURA FEBRIUM INTERMITTENTIUM.

QUæ circa hoc punctum notanda habeo debentur ſedulæ & accuratæ Obſervationi. Omni præjudicata opinione liber, nulli particulari Theoriæ, nulli Syſtemati cœco nexu adhærens hanc rem perſpexi.

Licet nimium cauti & timidi Practici generaliter Corticis uſum prohibuerint ante inſtitutas evacuationes, experientia tamen edoctus perſuaſiſſimum habeo, in Febribus intermittentibus endemicis, præcipuè in demiſſis & paludoſis locis ſævientibus, quales frequenter circa Thameſis ripas & in depreſſioribus hujus Metropolis partibus occurrunt, Corticem non

nimis festina manu posse adhiberi. Emeticorum & purgantium usus, titulo præparatoriorum, non solum non necessarius est, sed etiam in aliquibus casibus, quia nimiam inducit debilitatem, evitandus.

Concoctionis doctrina, utut vera in Febribus continuis & quibusdam casibus inflammatoriis, intermittentibus tamen productis a demissi & paludosi soli miasmatibus, quæ præcipuum harum Febrium fontem in hujus urbis viciniis constituunt, applicari nequit.

In hac opinione me confirmat testimonium Celeb. Cleghorn & aliorum, qui sæpissimè in primo morbi insultu Corticem adhibere necessarium judicabant, ut secundum paroxismum, qui in pluribus certè lethalis fuisset, vel averterent omnino, vel minuerent. Celeb. Lind circa hanc rem optimè annotavit, illa symptomata, quæ plerumque Cortici attribuuntur, potiùs paroxismo ob hujus Remedii neglectum redeunti deberi.

Varia dantur symptomata, quæ, nisi a febre intermittente dependerent, usum Corticis prohiberent: talia sunt tussis, respirandi difficultas, & dolor lateris. Hæc frequenter simul

cum paroxiſmo Ægrum invadunt, & ſolo Cortice ſimul cum paroxiſmo tolluntur. Diverſam & ſeparatam curam hæc ſymptomata non admittunt; ſed evacuantibus, præcipuè venæſectionibus, quæ in ordinariis Febribus depuratoriis opem adferre ſolent, ſemper augentur.

Intermittentem Febrim cum hectica aliquando complicatam vidi, ut utriuſque paroxiſmum bene diſtinguere potuerim. Cortex intermittentem fugando hecticam repreſſit; quamvis hectica, præſertim dum phthiſis pulmonalis ſymptoma eſt, Cortici numquam videatur cedere. Hinc probabile arbitror, quod quamvis in cura intermittentium cum aliis morbis complicatarum prima intentio ad intermittentem dirigi debeat, quandoque tamen neceſſarium ſit alicui indicationi ex altero morbo deſumptæ, modò intermittentis curæ non repugnet, ſatisfacere. In Hydrope intermittentium comite majus beneficium ab uſu Corticis ſalibus neutris, vel aliis lenibus diureticis juncti, vidi, quam a fortioribus purgantibus, quæ ſemper intermittentem protrahunt. Quilibet febris paroxiſmus magis & magis confirmat

firmat causam illius morbi secundarii, quem produxit.

Negare hic non intendo casus occurrere, in quibus Emeticum malè & imprudenter omitteretur. Præcipuè id locum obtinet in illis, qui biliosis accumulationibus in primis viis obnoxii sunt; sed potiùs eo intuitu tum adhibetur, ut id, quod Corticis operationi obstaculo foret, amoveatur, quam ea necessitate, ut tutus sit Corticis usus. Plerumque nauseam & vomitum tam symptomatica vidi, ut solo largo Corticis usu vinci potuerint.

Methodus magis absurda, quam illa prævias evacuationes instituendi invaluit, & fautores suos invenit: ea scilicet post peractam Cortice Peruviano intermittentium curam purgantia adhibendi. Hæc cum corpus debilitent, & debilitas ad intermittentium assultus maximè disponat, rarissimè non producit recidivam.

Pro illis, qui usu Corticis alvum adstrictiorem habent methodum ordinariam, pauca grana *Rhei* vel *Pilul: rufi* adhibendi approbo. Si e contra vires purgantes edat, aliquæ guttulæ *Tincturæ Thebaicæ* usitatius & optimum Remedium efficiunt.

Febres intermittentes ſæpiſſimè ſymptomatibus adeo anomalis ſtipantur, & quandoque tam accuratè larvam aliorum morborum induunt, ut imperitus vel inattentus Medicus decipi poſſit. Sub quavis tamen ſpecie, ſub quavis typo Cortici, aliis remediis quandoque juncto, cedunt.

Non exigua experientia requiritur, ut paroxiſmus intermittentis, ſub diverſa omnino ſpecie quandoque ludentis, detegatur, & quamvis Cortice promptius remedium non exiſtat, violentia tamen alicujus ſymptomatis morbum concomitantis & naturalem ejus formam obnubilantis aliam ſubinde, peculiari rerum ſtatui adaptatam, medelam exigit; idque non tam, ut Cortex poſtea tutum fiat Remedium, quam ut ſe præbeat efficaciorem.

Indoles ſævientis conſtitutionis epidemicæ plurimum poteſt in producendis irregularibus illis ſymptomatibus. Præſertim frigoris ſtadium ſiſtunt & interturbant. Generaliter tempore paroxiſmi multùm augentur.

Morbi, quos cum intermittentibus complicatos obſervavi, pro maxima parte erant indolis bilioſæ, quales autumno occurrere ſo-

lent: ut Vomitus violenti & immodici, Diarrhææ torminosæ, Cholera morbus, Cephalalgiæ periodicæ, dolor lateris: non rarò morbi inflammatorii, ut Pleuritis, Peripneumonia & Rheumatismus acutus: aliquando etiam affectiones spasmodicæ in Apoplexiam & Mortem terminatæ.

Omnes hi morbi nihil aliud quam hujus febris varietates esse & eisdem Remediis, quibus regularis intermittens, cedere crediti sunt.

Nullam tamen in natura analogiam existere arbitror, qua hæc doctrina stabiliri possit, & rationi nullatenus consentaneum videtur supponere, quod eadem causa tot diversas species queat producere. Profectò, imperium, quod epidemica constitutio in morbos sparodicos exercet, manifestò probat, corpus humanum pluribus causis eodem tempore posse affici, & remedia in simili casu circumstantiarum diversitati esse approprianda. Medici itaque munus est dignoscere, quis plurium istorum morborum, quibus corpus humanum eodem tempore afficitur, primam attentionem & curam requirat. Experietur in genere, quod febris intermittens, si ejus paroxismus tam violentas in

corpore turbas excitet, & alterius morbi ſymptomata multùm augeat, illico fugari debeat.

In aliquibus caſibus tamen ſigna tam urgentia prævalentis inflammationis cum intermittente conjuncta & ſub calore febrili tam aucta vidi, ut niſi amplam quantitatem ſanguinis, qui in illis caſibus ſemper phlogiſticus erat, detrahi juſſiſſem probabiliter actum fuiſſet de Ægri vita. Talia inflammationis ſymptomata curam febris intermittentis impediunt, & ideo quam primùm amoveri debent.

Probabilis ex his ratio erui poteſt, cur febres inflammatoriæ, depoſita ferocitate, ſæpiùs in intermittentem deſinant.

Eodem modo, antequam ſtomachus ferendo & digerendo Cortici aptus ſit, & febris auferri valeat, neceſſitas poteſt occurrere appropriatis Remediis curandi Vomitum ſymptomaticum, Choleram morbum &c.

Cortex Peruvianus primariò fugandis genuinis & idiopathicis febribus intermittentibus accommodus eſt; non ſymptomaticis, quæ diverſam plerumque medelam petunt.

Circumſtantiæ, quæ Medico agendi modum præſcribere & ejus greſſus dirigere debent in tractandis febribus intermittentibus complicatis, in hujusmodi tractatu magis præcisè determinari nequeunt. Neque hujus loci eſt deſignare illas Ægri conditiones, quæ, ut Cortex tutò adhibeatur & efficax ſit, aliorum Remediorum prævium uſum vel eorumdem cum Cortice unionem requirunt.

Videntur mihi non alio intuitu alia Remedia debere adhiberi, quam ut morbus cum febre intermittenti complicatus, quique eam protraxiſſet vel Corticis uſum interturbaſſet, priùs amoveatur; ſed nullatenus, ut futuri illi effectus, qui falſò plerumque Cortici Peruviano adſcribi ſolent, dum non niſi febris pertinaciæ vel imperfectæ ejuſdem curæ debentur, avertantur.

Tam autumnalis quam vernalis intermittens SYDENHAMI illo vincitur: prior tamen cum majori pertinacia & difficultate quam poſterior.

In multis caſibus rubri Corticis efficaciam in fugandis tertianis & quartanis, quæ Cortici ordinario reſtiterant, expertus ſum. Neque tamen id mirum videbitur illi, qui diverſi-

tatem virium diverſarum ſpecierum ipſius Corticis ordinarii perſpexerit.

Vitio mihi non vertendum ſpero ſi in ſalutares effectus, quos ſæpe ab Opio in febribus intermittentibus adhibito expertus ſum, paululum digrediar. CELEBERRIMO LIND præſertim hanc methodum debemus. Adeo efficaciter vim paroxiſmi tam frigoris ſtadium contrahendo quam coloris febrilis violentiam ſedando moderatur, ut ſæpiùs hoc ſolo intermittentes fugari poſſe credere tentarer. Re tamen propiùs perſpecta, hac ſpe fruſtrabar.

Ejus vim in pluribus centenis caſibus expertus cum CELEB. LIND concludo, „Opiata ſta-
„ tim in caloris febrilis principio adhibita,
„ paroxiſmi violentiam & durationem mi-
„ nuendo, Ægri conſtitutionem tam inalte-
„ ratam conſervare, ut ab eo tempore, quo
„ Opium in intermittentibus præſcribo, neque
„ Hydrops neque Icterus ullum meorum
„ Ægrorum intermittenti laborantium afflixe-
„ rit„ In initio ſtadii exhorreſcentiæ granum unum *Extracti Thebaici* præſcribere ſoleo, vel, cum minus ſpatium, ut in ſtomacho

diſſolvatur, requirat, ſub caloris acceſſione guttas viginti *Tincturæ Thebaicæ.*

Cortex ruber virtute aromatica & calida tam præſtantior altero eſt, ut omnes effectus expectatos ab unione Cardiacorum, Aromaticorum, Serpentariæ & ſimilium, quæ ad obſtinatiſſimas ætate provectiorum quartanas laudari ſolent, videatur adimplere.

Aliqua occurrit opinionum diverſitas quoad modum Corticem adhibendi. Maxima Medicorum pars in eo conſentit, ut eum in ſubſtantia aſſumptum promptiùs, quam ſub alia quavis forma, febrim fugare contendat. Quantitas ad domandam intermittentem requiſita, ſub hac forma, ampla & nauſeoſa doſis eſt. Quovis modo præſcribatur meliùs in liquore aliquo diffuſus propinatur, quam in Electuarium vel Pillulas redactus, quæ difficulter aliquando in ſtomacho ſolvuntur.

Lac Corticis ſaporem feliciùs, quam quodvis aliud vehiculum, obvolvere eumdemque Infantibus acceptiorem reddere obſervavi. Similiter Extractum Liquiritiæ Aqua ſolutum, ut ejus ſapor tegatur, adhiberi poteſt, vel Vinum aliquod, præſertim Rhenanum vetuſtum.

Ex eo, quod Cortex in ſubſtantia generaliter potior credatur, ſequi videretur ejus Decoctum, Infuſum & Tincturam, in quavis etiam quantitate exhibeantur, nimis debilia & domandis febribus intermittentibus imparia inventa fuiſſe: alioquin illa Corticis præparata, cum Stomachum minùs gravent & promptiùs agant, præferri debuiſſent.

Confido me demonſtraturum, Corticem rubrum quamvis ſpeciem Corticis communis quoad illa multùm præcellere: non ſolum etenim longè minor ejus pulveris doſis, ſed etiam Decoctum & Infuſum intermittentes fugat.

Tempore inter paroxiſmos medio & vacuo ſtomacho optimè Cortex aſſumitur. In quartanis, quæ duos apyrexiæ dies relinquunt, præſertim deſideramus, ut pridie paroxiſmi ægro magna ejuſdem quantitas propinetur, & in aliis intermittentibus tempore ad paroxiſmi futuri inſultum tam prope accedenti, quam ſtomachus pro ferendo Remedio permittit.

Maximi ponderis argumentum pro Corticis rubri uſu mihi tam Pharmacopolæ quam ægri ſuggeſſerunt: dimidiam ſcilicet quantitatem doſis requiſitæ Corticis ordinarii ad curandum

ſufficere. Variis etiam experimentis mihi conſtitit Corticem rubrum frequentiſſimè ſubſecuturum paroxiſmum avertere & febrim quaſi unico ictu fugare ; dum Cortex communis ſenſim tantum intermittentis vim infringit. Rariſſimè plus quam dimidiam dragmam omni apyrexiæ bihorio exhibere neceſſarium inveni, & numquam ultra ſex dragmas ad fugandam febrem, etiam quartanam, inter duos paroxiſmos propinare debui. Sæpiùs expertus ſum duplam quantitatem Corticis communis expectato effectu caruiſſe.

Inutile tamen eſt doſim definire. Omni horâ dragma aſſumi poteſt; modo ſtomachus ferat, & ea quantitas in aliquibus caſibus fortè morbum promptiùs ſuperabit, quam minor doſis, longiori temporis ſpatio intermiſſo, repetita. (*i*)

Sequentia facta manifeſtò probabunt me temerè ſententiæ, qua præſtantiores Corticis rubri vires ſtabiliuntur, non adhæſiſſe.

(*i*) Sæpe etiam methodum celeb. Home ſecutus ſum. In declinatione febris imminuto jam ſudoribus caloris ſtadio ille Corticem præſcribit. Præſertim id convenit dum brevis apyrexia duos paroxiſmos intercedit.

EDUARDUS VIRGOE annos viginti & unum natus per quinque menſium ſpatium febre intermittenti laboraverat. Primò tertianæ typum ſervabat; poſt in quotidianam regularem mutata eſt. Tuſſi, Dyſpnœa & Raucedine, præſertim ſub paroxiſmo, æger vexabatur. Cortex Peruvianus communis ad dragmam integram omni hora aſſumptus paroxiſmum quidem fugaverat, ſed non obſtante continuato hujus Remedii uſu, febris poſt aliquot dies redierat. Tandem aſſumpta per decem dies omni bihorio dragma Corticis rubri integrè curatus eſt.

Ex hoc caſu, ut & pluribus aliis, qui mihi obvenerunt, apparet febres intermittentes, etiam mali moris & cum aliis morbis complicatas, quæ Cortici communi & aliis Remediis reſtiterant, Cortice rubro fuiſſe ſublatas.

Hanc meam ſententiam confirmat experientia & teſtimonium plurium præclarorum Medicorum, qui adeo rubro Cortici favent, ut quotidie magis & magis, præcipuè in adjacentibus Provinciis, ubi intermittentes frequentiores & pertinaciores ſunt, expetatur.

His visis suspicari cœpi vires frigidæ ejus Infusionis in pluribus casibus sufficere curandis intermittentibus, & in omni alio casu producendis iis effectibus, qui a Cortice communi sub quavis forma adhibito expectari possunt.

Casus sequentes stabiliendæ huic opinioni sufficiunt.

J. YOUNGMAN, ætatis sedecim annorum, pluribus mensibus tertiana laboraverat. Molesta tussi sub paroxismo vexabatur, & ejus vires multùm imminutæ erant. Omni trihorio unciæ quatuor Infusionis frigidæ rubri Corticis ei præscriptæ sunt. Post duos dies febris sublata est &, continuato hujus Remedii usu per quatuordecim dies, perfectè convaluit.

T. PUGH vigesimum secundum annum agens a quinque hebdomadibus tertiana laborabat. Præsertim sub frigoris stadio molestè tussiebat. Assumpsit Infusionem frigidam rubri Corticis, ut in superiori casu. Unicum adhuc eumque levem paroxismum passus est. Tussis etiam omnino desiit.

J. WELDING, annorum viginti quinque, ab anno circiter febri intermittente vexabatur.

Typum quotidianæ ſervabat. Largam quantitatem Corticis communis fruſtrà abſumpſerat. Poſtquam per tres dies ſingulis viginti quatuor horis libras duas frigidæ Infuſionis rubri Corticis ſumpſerat, diſparuit paroxiſmus & deinceps non rediit. In initio Ægro alvus mota eſt, ſed brevi deſiit hic effectus. Sub Infuſionis uſu vires & appetitus continuò augebantur.

Ab eo tempore, quo prior hujus opuſculi editio in lucem prodiit, multiplici mihi conſtitit experientia de Infuſionis frigidæ rubri Corticis efficacia; ſed requiritur, ut diutius cùm ea inſiſtatur, quam dum Cortex in ſubſtantia e vino exhibetur. Caſus tamen mihi occurrerunt, in quibus ſtomachus Corticem in ſubſtantia rejiciebat, & febris illico frigida Infuſione fugabatur, dum ad uncias quatuor omni apyrexiæ bihorio aſſumebatur. Caſus etiam vidi, ubi intermittens cum aliis morbis adeo complicata erat, ut majori cum cautela & magis gradatim agendum eſſe judicarem: hinc frigida Infuſio tutiùs propinabatur quam ea doſis Corticis in ſubſtantia, quæ uno ictu febrim potuiſſet jugulare.

Dum ſublata febre, ne recidivet, aliquo tempore cum Cortice inſiſtendum eſſe judico, non ad aliam Corticis præparationem quam ad Infuſionem frigidam, omnium gratiſſimam, in hunc finem recurrere ſuadeo. Maximum ab ea emolumentum obſervavi, dum ejus uſus poſt intermittentes aliaſque febres in convaleſcentiæ ſtatu continuatur.

Longam poſſem huc adferre ſeriem caſuum, qui mihi tam in publica quam in privata praxi obvenerunt, & quibus propoſita doctrina confirmaretur; ſed fauſtæ praxis ſummam indicare ſufficere ratus ſum.

Infuſio frigida in dictis caſibus adhibita præparata erat affundendo duabus unciis Corticis rubri ſubtiliſſimè pulveriſati libras duas Aquæ frigidæ & mixtum ſub viginti quatuor horarum infuſione ſæpiùs agitando. (*k*)



(*k*) Quamvis caſus ſuperiùs allati manifeſtò probent Infuſionem frigidam febres intermittentes curare, non tamen in eum finem citantur, ut alii iique efficaciores hoc Remedium adhibendi modi negligantur.

DE EJUS USU IN CURA ALIARUM FEBRIUM.

FEbres remittentes plerumque tam ſtata periodo exacerbantur & remittunt, quam intermittentes; ſed illarum apyrexia incompleta & imperfecta multis dubium movit, an tutus foret adverſùs illas Corticis uſus. Cum ſæpiſſimè ſymptomatibus ſtipentur, quæ indicant bilioſum fomitem in primis viis hærere, opinio Emeticum ante Corticis uſum adhibendi optimè fundata videtur, & hac methodo perfectior ordinario remiſſio obtinetur.

In remittentibus tamen calidiorum Regionum inſultus paroxiſmi adeo vehemens eſt, & Ægri vires tam ſubitò proſtratæ, ut abſolutè neceſſarium ſit primam opportunitatem aliqualis remiſſionis arripere, & Corticem larga manu, ut in intermittentibus ſolemus, adhibere.

In febribus remittentibus attentiùs obſervanda & curanda ſunt ſymptomata concomitantia, quam in intermittentibus; quia magis ſpecialiter periodum remiſſionis turbant, interrumpunt, & diminuunt; hinc in calidioribus

Regionibus, non obſtantibus præjudicatis opinionibus, ut cephalalgiæ, pectoris oppreſſioni, cutis intenſo ardori & ſiccitati aliiſque ſymptomatibus paroxiſmum protrahentibus ſuccurratur, utile quandoque eſt aliquot ſanguinis uncias detrahere. Talibus adhibitis mediis remiſſio ſæpiùs obtinetur, & Cortex deinceps feliciori cum effectu propinatur.

Febres hujus Regionis rarò regulariter remittunt; niſi prius evacuationes, in inflammatoriis ſcilicet Venæſectiones & in biliofis Emeticum atque Purgantia, rite adhibitæ fuerint.

Quando febris ad ſtatum manifeſtæ remiſſionis redacta eſt, id eſt, dum intra viginti quatuor horarum ſpatium particulari periodo pulſus celeritas ad decem aut viginti ictus minuitur; dum inquietudo, auxietas & propenſio ad delirium minuuntur; dum os & fauces madent; dum ſecretionum organa, præcipuè cutis, aperta ſunt & pervia, Cortex tam liberè & tutò ſub his ſymptomatibus, quam in intermittentibus adhiberi poteſt.

Rheumatiſmus acutus, non obſtante inſultu ejus inflammatorio & ſanguine phlogiſtico, quamvis etiam articuli per plures hebdoma-

das inflammari pergant, ab initio remittentis febris ſpeciem aſſumit.

Sub his conditionibus cum antiphlogiſticis inſiſtere generaliter inventum eſt inefficax. In pluribus ſimilibus caſibus Infuſionem frigidam rubri Corticis adhibui, & morbus ſoli huic methodo videbatur cedere.

Rheumatiſmus acutus in ſuis remiſſionibus ſpeciem duplicis tertianæ aſſumit, & Æger plerumque profuſis ſudoribus paroxiſmum terminantibus multùm debilitatur.

In his caſibus præcipuè Corticis uſum laudo. Hanc methodum efficaciorem & rationi magis conſentaneam inveni, quam uſum *Volatilium* & *Guajaci*.

Tædium & inefficacia methodi antiphlogiſticæ in cura Rheumatiſmi acuti particulariter in hunc morbum me attentum reddiderunt. Cum continuò optato effectu fruſtrarer, & conſequenter uſitata methodus, optimis Authoribus tam veteribus quam modernis, qui hanc rem tractarunt, laudata, mihi minùs ſatisfaceret, alia media, quæ feliciùs mihi ſucceſſiſſe puto, tentare decrevi. Febris rheumatica,

matica, non obſtante inflammatoriorum ſymptomatum violentia, videtur mihi intermittens larvata eſſe, &, ut ſupra jam notavi, tertianæ duplicis periodos habere. Antequam tamen ut intermittens tractari poſſit, inflammatoria ejus ſymptomata moderatis Venæſectionibus, interpoſitis pro re nata Purgantibus & multis Diluentibus ſedari debent: quamvis mihi moderatus Corticis uſus, ut vires præviis & neceſſariis venæſectionibus proſtratæ erigantur, non videatur repugnare ideæ morbi inflammatorii; neque ideæ febris intermittentis, quod ſymptomata inflammatoria, quæ febrem anomalam reddunt, Antiphlogiſticis Cortici ſociatis moderanda ſint & reprimenda.

Hac methodo in multis caſibus febrim rheumaticam magnopere diminutam vidi, & articulorum torpori ac debilitati, ut etiam diſpoſitioni ad Rheumatiſmum Chronicum, quæ omnes plerumque hujus morbi ſequelæ ſunt, ſemper proviſum fuiſſe expertus ſum.

E natura pulſus, proclivitate in profuſos ſudores, urinæ ſedimento, frequenti rigoris invaſione videtur mihi Rheumatiſmus acutus

frebris intermittens eſſe, quæ ob ſtatum Inflammatorium articulorum ſolitam & naturalem formam induere impeditur.

Hunc morbum quandoque merè topicum, nulla ſcilicet febri inflammatoria ſtipatum vidi. In hoc caſu, poſtquam Hirudines articulis applicari, & Hæmorrhagiam fomentis promoveri juſſiſſem, larga manu Corticem exhibui; & hunc nunquam, dummodo ab aliis, quæ inflammationem augere poſſunt, cavebatur, ſymptomata inflammatoria expertus ſum exaſperaſſe. Generalia itaque & vaga præcepta de Corticis Peruviani propenſione ad augendam in omni caſu inflammationem ratiocinatione ex ejus viribus & actione deducta frivola ſunt, & niſi feliciter Experientia & Obſervatis correcta fuiſſent, beneficium ab ejus uſu in febribus rheumaticis, inflammationibus ſcrophuloſis & fortè aliis bene multis morbis perceptum nobis eripuiſſent.

In ſubjectis delicatioribus & irritabilibus inflammationes rheumaticas articulorum febri lenta nervoſa ſtipatas vidi, quæ ſoli Cortici Opiatis juncto cedebant.

In febri rheumatica generaliter circa ſeptimum ab invaſione diem Infuſionem frigidam rubri Corticis exhibere incipio. Tres uncias ſingulis duabus aut tribus horis, donec circa veſperam paroxiſmus ingruat, præſcribo. Sub hoc remedio neque a venæſectione tam univerſali quam topica, neque a purgantibus, prout occurrentia ſymptomata poſcunt, abſtineo.

In febri illa *Lenta* ſub titulo *Nervoſæ* tam graphicè ab HUXHAMO delineata, dum cutis mollis erat, & pulſus pauciores quam centum & decem ictus in minuto primo dabat, frigidam rubri Corticis Infuſionem cum bonis Ægri rebus præſcripſi.

In ſimilibus febribus præcipuè, tamquam Cardiacum, vim vitæ ſuſtinendo agit, & eo intuitu videtur mihi in omnium morborum febrilium decremento, quoque ubi ſymptomata in morbi invaſione manifeſtò imflammatoria ſunt, poſſe adhiberi.

Ferè omnes morbi febriles ſub decremento remittunt.

Febres verè *Putridæ* & *Malignæ* putridis vaporibus & miaſmatibus productæ rarò in hac

urbe occurrunt. In Classibus, Castris & locis, ubi aër non renovatur, vel Animalia arcto nimis spatio concluduntur præcipuè sæviunt.

In his morbis cura efficitur Emetico & Cardiacis calefacientibus. Inter posteriora eminet Cortex ruber.

In his casibus, ut vis antiseptica juvetur, Vino infundi potest.

Acidis etiam optimè unitur, & præstantes effectus ex hac unione in his morbis possunt expectari.

In *Febribus Putridis Anginâ Gangrænosa* stipatis multoties Corticis efficaciam expertus sum: cavendum tamen ne hic morbus cum *Angina Mucosa* HUXHAMI, vel cum *Angina Erysipelatosa* GRANTII confundatur. Posteriores, quamvis etiam contagiosi & eruptionibus cutaneis stipati, maximè tamen inflammatorii sunt, & evacuationes postulant.

In *Febribus Petechialibus* cum signis maximæ virium prostrationis frequenter pulsum naturali non celeriorem & calorem animalem ferè non auctum vidi. Hic usum Corticis Vino veteri rhenano infusi laudo.

Febrem ab aëre non renovato, qualis in carceribus ſævire ſolet (*Jail Fever*) non aliis ſymptomatibus diſtinctam vidi, quam Petechiis & magna virium proſtratione. Lingua nullatenus conſpurcata; pulſus non acceleratus, ſed parvus erat: in ſecretionibus nihil videbatur turbatum. Veſicantia extremitatibus applicata, Cortex & Vinum optima in his caſibus remedia ſunt.

In genere febres ſymptomatibus debilitatis notatas præcipuè remittere experimur. Ideo uſum Corticis bene admittunt, quia hic tonum & vigorem ſyſtematis vaſculoſi augendo redeunti paroxiſmo ſe opponit.

Febres, in quibus cordis & vaſorum actio violentior eſt, quales ſunt inflammatorii, non remittunt vel ſaltem non tam manifeſtò; donec ea violentior actio evacuationibus temperata ſit: ita ut ſub decremento tantùm videantur remittere.

Primus inſultus omnium ferè febrium in hac regione comitem habet violentiorem cordis & vaſorum actionem, quæ aliquando prudenter apertâ venâ; frequentiùs tamen *Tartaro Eme-*

tico, infusione *Sennæ* & *Salibus Neutris* optimè temperatur.

Omnes febres, quæ cum magno rigore, quem magnus excipit calor, invadunt, subitas evacuationes postulant: illæ verò, quæ lentè irrepunt, & vertigine potiùs quam capitis dolore, magna anxietate, vigiliis, tremore & debilitate stipantur, Opiata, Corticem, Serpentariam & Vinum poscunt. Vesicantia brachiis applicata ad erigendam cordis actionem admodum efficacia sunt. Præcipuè dum cutis mollis, lingua & fauces sufficienter humidæ sunt adhiberi possunt. Posterius hoc symptoma observando, plus quam passim creditur, dignosci potest.

Oportet tamen distinguere inter oris & faucium siccitatem, quæ febris symptoma est & inter illam, quæ ex eo oritur, quod Æger ore aperto dormiat.

Spero observationes, quibus incomparabilis hujus Remedii præstantia defenditur, in his pagellis orbi medico oblatas, omnem præjudicatam opinionem adversùs Corticem latiorem & crassiorem, quam ille qui hactenus in usu fuit, amoturas.

Undique jam & enixè petitur. Spero difficultatem eum in ſufficienti copia comparandi Mercatores & Pharmacopolas non inducturam, ut ei ſpuriam ſpeciem aliarumve Arborum Cortices ſubſtituant.

EXTRACTUM EX EPISTOLA
D. EDUARDI JACOB
Junioris, Chirurgi dexterrimi Feversham iæ in Cantii Provincia.

TOt occaſiones nactus ſum rubrum Corticem tentandi, ut votis tuis in ſtabiliendis præſtantioribus ejus viribus me facilè ſatisfacturum ſperem.

Loca paludoſa hinc non procul diſſita febres intermittentes hic multò frequentiores efficiunt, quam in Urbibus & interioribus hujus Regni Provinciis paſſim eſſe ſolent, & ſanctè aſſero ante Corticis rubri uſum intermittentes noſtras ob particularem pertinaciam (ut tum credebamus, vel ut jam obſervavimus ob Corticis ordinarii inertiam) verè *Opprobrium Medicorum* potuiſſe appellari. Hoc dedecus jam ſublatum arbitror: nullus etenim hactenus

casus mihi obvenit, dummodo præscripto obsequi Ægro poteram persuadere, in quo ruber Cortex defecit.

Optima species Corticis Peruviani in tenues tubulos convoluti mihi ante in usu erat; minus tamen promissis effectibus stabat.

Mense Martio 1781. notitiam rubri Corticis primò consecutus sum. Aliquæ libræ pro tentandis ejus viribus tum mihi missæ sunt. Indicabat Pharmacopola eum in Nosocomio D. Bartholomæi jam indè in usu esse, & efficacem se præstitisse. Intentatum tamen usque ad subsequentem mensem Majum servavi. Invadit me tum febris periodica, & tamen de adhibendo rubro Cortice necdum cogito: sperabam etenim magnam quantitatem Corticis ordinarii, mihi nullatenus ingrati, sumendo me morbum facilè fugaturum. Spe tamen frustratus sui, & sine ullo assumpti remedii effectu paroxismus paroxismum excepit. Novum itaque Corticem tentare statuo; sed omnia febris pertinaciæ adscribens primas vias ante Emetico & Purganti evacuo. Imdiatè post has cautelas declinante paroxismo dragmam unam rubri Corticis in subtilissimum

pulverem redacti tribus unciis ejusdem Decocti immixtam, addita parva quantitate ejusdem Corticis Tincturæ assumo. Hunc haustum multo Cortice saturatum stomachus in initio ægrè tulit. (Idem plures in meis Ægris expertus sum absque eo quod hic effectus Corticis efficaciam minueret.) Datis itaque brevibus induciis, idem Remedium repetii & insistere potui. Ab eo momento sublata febris est; donec post aliquas septimanas recte valens & Corticis usum deserens levia symptomata, pro vero paroxismo nullatenus tamen numeranda, denuò passus sim. Repetitus tum Cortex morbum radicitus evulsit.

Patrem meum septuagesimum jam annum agentem ab eo tempore febris periodica invasit. Cum in initio solis horripilationibus sine subsequentibus aliis manifestæ febris symptomatibus vexaretur, tres paroxismos sine ullo Remedio sustinuit. Tum ingravescente morbo de intermittentis realitate convictus hujus Corticis Decoctum cum pauxillo ejusdem Tincturæ mixtum assumpsit. Adeo efficax ei hoc Remedium se præstitit, ut deinceps febris non redierit. Cum nimis citò tamen Corticem omisisset levem paroxismum denuò passus est.

Eodem itaque remedio per aliquot dies repetito omnino liberatus eſt & optima jam fruitur valetudine.

Tot ægri novi Corticis beneficio priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt, ut illorum numerum præciſè determinare nequeam.

A menſe Julio 1781. in hunc uſque diem circiter ſexaginta libras hujus Remedii præſcripſimus. Dum eo intuitu dedimus, ut inſtantem febris paroxiſmum fugaremus, pulveris dragmam dimidiam vel integram in duabus unciis Decocti & parva quantitate Tincturæ exhibuimus. Decoctum noſtrum parabatur tres hujus Corticis groſſo modo pulveriſati uncias in quatuor libris Aquæ coquendo ad medietatis conſumptionem.

Dum Æger conſtitutionis delicatioris erat, vel dum tamquam roborans adhibebatur, Decoctum & Tincturam ſine addito pulvere præſcripſimus. In intermittentibus recenter contractis rarò aliud Remedium quam Corticem exhibuimus: in inveteratis & pertinacibus curam evacuantibus aggreſſi ſumus. Pulveris uncia dimidia ſine evacuantibus plerumque Ægrum ſanavit: in caſu recenti major quan-

titas requirebatur. Visâ novi Corticis efficaciâ, veterem & omnia ejus præparata omnino relinquimus. Dum Æger non nisi pilulas poterat assumere in multis casibus novi Corticis Resinam cum successu præscripsimus.

Hæc tibi satisfactura ex animo spero: sin minùs; novis investigationibus imposterum conabor supplere.

Subscribor, &c.

EDUARDUS JACOB Jun.

Feversham iæ 23. Junii 1782.

EPISTOLA

D. BOYS

Præclari Chirurgi & Pharmacopœi Sanduici in Cantii Provincia.

DOleo me tibi particulares casus, quibus Corticis rubri efficacia probaretur, non posse transmittere. Cum in scriptis nihil circa hanc rem annotaverim, in genere tantùm affirmare possum præstantiorem Corticis Peruviani speciem esse, quam hactenus mihi experiri contigit. Utrum intermittentes pertinaciores fue-

rint, vel Cortex ordinarius minùs efficax dirimere nolo : id certò ſcio nos in hujus morbi cura, donec novum Corticem obtinuimus, ſolito ſæpiùs fuiſſe deceptos.

Nulla ratione inducor, ut hoc Medicamentum ultra merita laudibus efferrem; ſed aſſerere poſſum id meam expectationem, dummodo Æger ritè aſſumere voluit, ne ſemel quidem hactenus fefelliſſe. Præſtantiores itaque ejus vires firmiter perſuaſas habeo, & eo magis in hac opinione confirmor, quod meam ſententiam cum veſtra & illa omnium Medicorum in vicinis locis praxim exercentium, qui hunc Corticem tentarunt, ſciam congruere. Opusculi veſtri publicationem avidus exopto, non ſolùm quia propagando notitiam & uſum incomparabilis hujus Remedii generi humano ſcio profuturum, ſed etiam quia ſpero idem effecturum, ut nova hujus Corticis copia citius adferatur: pauca enim ejus mihi quantitas ſupereſt, & unde mihi nova ſuppeditetur ignoro.

Subſcribor &c.

G. Boys.

Sanduici 19. Junii 1782.

Existimationi rubri Corticis a pluribus Medicis ruri degentibus confirmatæ additamentum est Epistola ab aliquot diebus recepta, ad me 16. Junii 1782. data a G. BISHOP *præclaro Chirurgo Madi in Cantii Provincia.*

LOnga casuum serie Author in illa probat Corticem rubrum in curandis illius loci intermittentibus non solùm Cortice communi aliisque Remediis in his morbis adhiberi solitis se multò efficaciorem præstitisse, sed eumdem etiam radicitus morbum curasse, adversùs quem Balnea frigida, Emetica, Opiata, Amara, Frictiones & unciæ sedecim Corticis communis, tam per se quam variis aliis Remediis juncti, frustra fuerant adhibita. Sub Electuarii forma, addito pauxillo Olei Essentialis Menthæ Piperitidis aut Carui, ordinariò exhibet, & rarissimè casum habuit, in quo sex uncias hujus Remedii præscribere necesse fuit. Casum memorat, in quo febri malignæ sphacelus delirio aliisque pravis symptomatibus stipatus supervenerat, & Æger rubro Cortice, Anodinis & Vino servabatur. Benigna suppuratio sphacelatas partes separabat, & febris aliaque mala signa citò evanescebant.

Altera Epiſtola varias doctas & ſagaces animadverſiones continens ab eodem G. BISHOP 23. *Junii benignè ad me data eſt.*

CORticem rubrum in pollinem ſubtiliſſimum mola redigere, tum per arctiſſimum cribrum trajicere ſuadet, eo intuitu, ut levior ſtomacho ſit, & partes ejus intimiùs inter ſe miſceantur. Obſervat Reſinam aurea bractea imitantem in medio ſtrato videri poſſe, ſi Cortex diffringatur & fractæ partes ſub ſole microſcopio conſiderentur. Idem Experimentum in Cortice communi inſtituendo manifeſtò patebit rubrum majorem quantitatem Reſinæ continere.

Dragma vel ſcrupuli quatuor Corticis ſubtiliſſimè pulveriſati non ingratiores ſunt & tam facilè aſſumuntur, quam ſcrupuli duo in pulverem groſſum, ſub quali apud Pharmacopœos paſſim proſtat, redacti. Dragmam unam pro ſingula doſi ordinariò exhibet, ægros tamen habuit, qui duas treſve dragmas uno hauſtu aſſumere malebant, ut longiori intervallo fruerentur, & hanc methodum, modò ſtomachus ferat, ad fugandas febres magis efficacem ſe expertum aſſerit. Quidam Æger, qui tempo-

re duodecim horarum tres uncias aſſumpſerat, à pertinaciſſima quartana unico ictu liberatus eſt.

Intermittentes, quæ minoribus doſibus non cedebant, aucta doſi & ſæpiùs repetita ſublatæ ſunt.

In quotidianis & tertianis quinque vel ſex horas ante paroxiſmum indicat ſufficere, ut Corticis rubri quantitas avertendo inſultui neceſſaria aſſumatur. Aliquibus pro integra cura duæ unciæ immediatè poſt paroxiſmum captæ ſuffecerunt: prudentiùs tamen egerunt, nec non feliciùs & citiùs convaluerunt, qui donec quatuor vel ſex uncias conſumpſiſſent in ejus uſu perſeverarunt. Animadvertit etiam illos, quorum ſanguis maximè diſſolutus eſt, & quorum ſolida profuſiſſimis ſudoribus relaxata ſunt, quod in obſtinatis quartanis frequenter ſolet accidere, maxima Corticis quantitate indigere.

Quotidianæ pro cura parvam quantitatem hujus Remedii requirunt: tertianæ minoribus doſibus, quam hujus Provinciæ quartanæ, cedere ſolent.

Octo vel decem dierum ſpatio quinque vel ſex uncias hujus Remedii aſſumere melius &

certius ſtatuit, quam pro eadem quantitate longius tempus adhibere.

Operarii, qui ſub dio frigidis & humidis matutini temporis horis; in locis paludoſis vel uliginoſo ſolo, aut a ſolis ortu uſque ad rorem veſpertinum laborant, & madidos profuſis ſudoribus veſtes ſæpe ad humeros ſiccari ſinunt, a quartanæ recidiva tuti eſſe nequeunt; niſi ab ultimo febris paroxiſmo quinque hujus Remedii uncias abſumpſerint: probabile etenim eſt omnes ante aſſumpti Corticis effectus ſupervenienti primo recidivæ paroxiſmo perditos eſſe & diſſipatos.

Reflectit quoque Corticem etiam larga manu præſcriptum irregulares febris paroxiſmos, quibus illi excruciantur, qui Phthiſi pulmonali laborant, & in quorum pulmonibus pus colligitur, non ſublaturum.

Epiſtolæ D. G. Bishop, quæ has animadverſiones continent, plures etiam pretioſas inſtructiones circa alia Artis Medicæ objecta comprehendunt, quas data occaſione ſagacem Virum Authorem cum publico ſpero communicaturum.

EPISTOLA

EPISTOLA

D. WITHERING,

Medici celeberrimi Birminghamiæ data 29. *Junii* 1782.

GAudeo te rubri Corticis Peruviani descriptionem & historiam prælo dare suscepisse. Multum profectò commodi hujus rei publicatio afferet: aliquos enim instruet, aliorum præjudicatas opiniones delebit, & Mercatores tandem exstimulabit, ut amplam copiam pretiosi hujus Remedii sibi adferri curent. Intermittentes universaliter hoc vere prædominantes multa nobis experimenta suppeditarunt, quibus hujus Corticis efficacia probetur. In Urbe Birminghamiensi non adeo intermittentibus vexamur; sed in aliis, quas adeo quandoque, Provinciæ *Verovici* partibus; in *Staffordiæ*, *Salopiæ*, *Vigorniæ* & *Oxoniæ* Territoriis, seniores Medici, quibuscum de hac re sermonem habui, non meminerunt illas umquam frequentiores fuisse.

Cùm obviis quibuscumque Pharmacopœis rubrum Corticem sedulò commendaverim, & postmodum solicitus fuerim in colligendis eorum circa ejus efficaciam observatis, asserere

poſſum eos unanimiter affirmare, "quod hic „ Cortex adversùs intermittentes exhibitus „ illorum expectationem numquam fefellerit.„

Intermittentes, quas mihi videre contigit, ferè generaliter in locis, ubi ſolum leve eſt, tertianæ typum ſervabant; in illis ubi argillaceum quartanæ. Ex illis aliqui ſe curæ meæ commiſerunt, qui a ſex menſibus, anno, imo anno & dimidio quartanâ in *Cantii* vel *Icenorum* Provincia contractâ vexabantur, & tamen duo tantùm mihi caſus occurrerunt, in quibus Cortex ruber futurum paroxiſmum non impediit. Alterutrum horum Ægrorum poſtea vidi. Signis obſtructi hepatis & Hydrope anaſarca laborabat. His methodo ordinaria quatuordecim dierum tempore ſublatis, Cortex ruber illico curam perfecit. Alterius caſus, cum Æger procul ab hac Urbe habitet, necdum exitum reſcire potui.

Ulterior experientia requiritur, ut certa hujus Remedii doſis ſtatui poſſit. Medicos novi, qui omni apyrexiæ quadrihorio unam vel duas dragmas exhibuerunt. Ego plus quam triginta vel quadraginta grana pari temporis intervallo numquam hactenus præſcribere debui.

Pauca habeo quæ de ejus præparatis afferam; pro propria praxi enim ſemper ſimplicem pulverem præfero. Mihi tamen relatum eſt optimam & ſaturatam Tincturam ex illo confici, & ejus Decoctum vidi, quod coloratiſſimum erat & turbidum.

Peti poſſet, an Cortex communis in hujus anni intermittentibus eoſdem omnino effectus non præſtitiſſet? Secundum aliorum Medicorum judicium non videtur: ego e propriis obſervatis non aliam ad hanc queſtionem reſponſionem habeo, quam quod Cortex communis adeo frequenter expectationem meam fefellerit, ut ſolis Evacuantibus, Opio & Salibus Metallicis pro intermittentium cura fretus eum a ſeptem annis in his morbis numquam ampliùs tentaverim.

Ut ultima hæc aſſertio cum quotidiana aliorum experientia conciliari poſſit, intelligi debet, rarò apud nos pro intermittentibus Medicum advocari; niſi inſolitum aliquod ſymptoma, aut ſingularis recurrentium paroxiſmorum pertinacia Ægrum aut ejus Amicos perterrefaciat.

Utrum hic Cortex ad eamdem Arborem pertineat, e qua Cortex ordinarius deſumitur,

vix definiri poteſt. Ego interim eum idem Medicamentum eſſe quod MORTONUS & SYDENHAMUS Ægris ſuis exhibuerunt, & cujus efficaciam tamquam infallibilem laudarunt, perſuaſum habeo. Quid Materiæ Medicæ Scriptores primò induxerit, ut Corticem tenuem convolutum præferrent, planè ignoro: ſed id ſcio Coriarium anglum, ſi petiveris uter Corticum quercus, trunci ſcilicet vel ramuſculorum, adſtringentior ſit & efficacior, ignorantiam tuam riſurum.

Epiſtolam tuam & meam de hac re ſententiam Amico meo & Collegæ digniſſimo D. ASH impertivi. Me tibi aſſerere jubet obſervata ſua in ſumma a meis non differre. Subſcribor &c.

G. WITHERING.

P. S. Ita, Vir Amiciſſime! quid obſervaverim & ſentiam de ſubjecto, quod meditaris, liberè expoſui. Licentiam tibi relinquo has litteras ad eum uſum adhibendi, quem volueris. Mihi ſemper congratulabor, ſi aliquid ad conſilii veſtri utilitatem contulero.

Quidquid aliqui Pharmacopolarum Londinenſium clamitent, numquam hactenus à rubri Corticis uſu nocivos effectus vidi. Quid

illos impellat adeo evidens eſt, ut commentario non egeat.

Solam diſtantiam familiaritatem noſtram & communicationem intercepiſſe tecum ſentio: ſentio tamen etiam diſtantiam non minuere exiſtimationem & venerationem, quibus iteratò ſubſcribor &c.

G. WITHERING.

EPISTOLA
D. SHERWIN,
Præclari Chirurgi in Enfield.

AB eo tempore, quo rubrum Corticem adhibemus, feliciſſimè nobis ſuccedit intermittentium cura. Poſt uſum optimi etiam Corticis communis antea adeo frequenter Ægri recidivam patiebantur, ut tam fama noſtra quam Medicamenti exiſtimatio multùm concideret, & Ægri non pauci ad Artis Medicæ imperitos confugerent, Agyrtarum arcanis & incantamentis potius confidere rati, quam Remedio, quod toties viderant fefelliſſe, & cui omnes morbos & dolores, quibus poſt intermittentes vexabantur, & qui febris imperfectè curatæ paſſim ſequelæ ſunt, ingeniqſiſſimè adſcribebant.

Amplam enarrationem, qua ordinarii Corticis inertiam probarem, ſuppeditare poſſem: verùm, cum communis hæc querela ſit, minus neceſſarium judico. Gratius itaque, ni fallar, erit, ſi potius hiſtorias quorumdam caſuum, in quibus morbus, qui magnam quantitatem Corticis communis eluſerat, rubro etiam in longè minori doſi exhibito illico victus fuit, attulero.

R. Parsley Adoleſcens Operarius & robuſtus, viginti octo annorum, autumno tranſacto corripiebatur febri intermittente, quæ modò quotidianam, modò tertianam, quandoque quartanam typum cum pauca intermiſſione ſervaverat uſque ad vigeſimam aprilis hujus anni. Eo die caſu fortuito illum vidi, & ſequentem mihi impertiit hiſtoriam.

Quæcumque præſcripta fuerant ſedulò aſſumſerat, & illius Herus, vir nobilis & dignus hic in vicinia degens, variorum Medicorum conſilia ei procuraverat. Hi in larga doſi Corticem præſcripſerant; ſine beneficio tamen, cum fugata febris poſt aliquos dies cum majori impetu rediret. Addebat ei tandem conſultum fuiſſe, ut unciam dimidiam Aluminis in pinta

Cerevisiæ (*Ale*) ad medietatis consumptionem coctam biberet, & ter hanc potionem, singula vice simul ac persentisceret paroxismi insultum, repeteret. Hac ratione septem dimidias uncias Aluminis sub invasione totidem paroxismorum absumpserat.

Suspicabar magnam adeo quantitatem Aluminis uno haustu captam debuisse nocivos quosdam effectus produxisse, & ideo dubitabam an bene totam deglutiisset. Severiori examine instituto constitit tamen eum revera singulis vicibus unciam dimidiam introsumpsisse: vasculum etenim de industria agitando Alumen non solutum a fundo dimoverat, & ejus pulverem manifestò sub dentibus senserat. A potu sæva Cardialgia correptus fuerat. Tanta Aluminis quantitas una dosi sine noxa hausta inter illa facta, quæ sciri merentur, facilè numerabis.

Infortunati Adolescentis sortem miseratus octo doses Corticis rubri, quarum singula dragmam continebat, ei transmisi. Cum febris tum quartana esset, eas duabus apyrexiæ diebus absumpsit. Jam septem exactæ sunt hebdomadæ, a quo hoc Medicamentum adhibuit,

& nullam hactenus febris recidivam passus est. E contra, ut propria ejus expressione utar, „ se ab hoc tempore sensit, ac si novas partes „ internas acquisivisset.

Anna Pigot quatuordecim annorum paupercula, & consanguinea supradicti Parsley ab autumno etiam intermittenti fuerat vexata, & varia Remedia frustra etiam tentaverat. Per quatuordecim dies parvas doses *Vitrioli Cærulei* ei sine beneficio præscripsi. Postea tres quatuorve doses Pulveris aromatici calidi e *Baccis Lauri* & *Pipere*, quod mixtum sæpe opem tulisse expertus sum, frustra exhibui. Utrum Corticem communem in debita quantitate tentasset ignoro. Idem Medicamentum, quod consanguineum suum curaverat, exposcebat. Jam abhinc mense tres doses, quarum singula tantùm scrupulum continebat, dedi, & sanctè affero illam ab eo tempore ab omni morbo perfectè fuisse immunem.

D. Barnes vir robustus & laboriosus præterito autumno febri intermittente delirio aliisque pravis symptomatibus stipatâ corripiebatur. Post tres quatuorve paroxismos dragmâ Corticis communis omni hora exhibitâ

febrim ſuſtuli. Poſtea ad præcavendam recidivam bis de die eamdem doſim ſumpſit. Verùm poſt quatuordecim dies febris cum ſolito furore rediit, & denuo aſſumpta eadem Corticis communis quantitate ſublata eſt. Hac ratione febris ab autumno uſque ad initium Aprilis quinies vel ſexies, quatuordecim circiter diebus poſtquam fugata eſſet, rediit. Cortex communis recenter in pulverem redactus continuò repetitus eſt.

Ineunte Aprili ſex doſes unius dragmæ Corticis rubri ei præſcripſi, quas declinante paroxiſmo abſumpſit, & lætus aſſero illum, quamvis cautelam quotidie idem Medicamentum repetendi neglexerit, nullam hactenus recidivam ſenſiſſe.

Caſus adferre, in quibus Cortex ruber, intentato communi, curam effecit, operæ pretium non eſt. Aliqui mihi occurrerunt, & nullum hactenus recidivæ exemplum habeo.

Nuper ad caſum gravem, ſimilem illi prædicti D. BARNES, in quo ſex vel octo tantùm horarum apyrexia erat, arceſſebar. Sex dragmas Corticis rubri præſcripſi, haſque æger aſſumpſit. Paroxiſmus tamen ſolita hora invaſit, &

ſub ſtadio moleſtiſſimæ horripilationis omnis, ut videbatur, Cortex per vomitum rejectus eſt. Subſequens tamen paroxiſmus paulò mitior fuit. Æger Corticem ſub quavis forma valde averſabatur: eum fallendo tamen obtinui, ut tempore ſubſequentis apyrexiæ duas dragmas uno hauſtu deglutiret. Id hoc Medicamentum ei adeo inimicum reddidit, ut deinceps idem repetere abſolutè renuerit. Hoc non obſtante febris (quod Ægrum gaudio, me ſtupore affecit) omnino ſublata eſt. Sanationem ſuam tribus quatuorve hauſtibus *Julepii camphorati*, quod dum cum Cortice inſiſtere recuſaverat, ut nihil agi non videretur, præſcriptum erat, Æger attribuebat: potiori tamen jure duabus Corticis rubri dragmis ultimò præſcriptis, cum ſex primas pro maxima parte perditas credam, adſcribenda eſt.

Acquiſitio & introductio Corticis rubri in Materiam Medicam mihi res incomparabilis pretii videtur. Forſan tamen propriè loquendo nobis tantùm renaſcitur aut reſtituitur Medicamentum, quod tempore SYDENHAMI & aliquibus poſt illum annis in uſu erat; dum Artis Medicæ Scriptoribus familiare prover-

bium erat: " hoc vel illud Remedium tam cer-
„ tè curaturum, quam Cortex intermitten-
„ tem. „ Cortex, qui a multis annis nobis in usu est, numquam profectò hoc encomium meruit.

Antequam Corticis rubri præstantia mihi innotesceret varia tonica, ut *Cuprum Ammoniacum*, *Vitriolum Cæruleum*, *Sal Vitrioli*, *Sal Martis* &c. mediocri in genere cum successu, felici tamen hinc indè cum eventu tentaveram.

G. King Juvenis athleticus præterito autumno opem meam implorabat. Vexabatur irregulari tædiosa intermittente, quam dolor lateris acutus, pulsus plenus & durus, tussis molesta & raucedo comitabantur. His stantibus symptomatibus Corticem sub aliqua forma exhibere mihi minùs tutum videbatur. Venæsectionem itaque eamque amplam institui, Vesicans loco dolenti applicari jussi, & Decoctum *Taraxici* cum *Tartaro Solubili* & *Melle* in magna quantitate sumendum præscripsi. Morbus manifestò febris intermittens erat, sed symptomatibus Phthisim pulmonalem minantibus stipabatur. Sanguis detractus adeo Phlogisticus erat, ut ideo quater venam

ſecari juſſerim. Hæ evacuationes, cum dicto Decocto & diæta ſtricta, antiphlogiſtica, tuſſim & dolorem lateris ſuſtulerunt. Febris Ægrum tamen torquere perrexit. Octo doſes Corticis ordinarii, quarum ſingula dragmam pendebat, tandem præſcripſi, quæ pro pluribus ſeptimanis febrim fugarunt, & ægri habitum egregiè emendarunt. Poſt ſublatam febrim duas quotidie doſes aſſumere perrexit. Id frequentes ei narium Hæmorrhagias excitavit.

Febris ea hieme bis rediit, bis eidem Cortici facilè ceſſit, & Æger ſatis rectè valuit: donec adventante Vere & dominante frigido Borea non ſolum febris intermittentis recidivam pateretur, ſed etiam vexaretur dolore lateris, & tumidam, ictericam faciem proderet. Poſt inſtitutam denuò Venæſectionem & uſum Apozematis per menſem, ei ſex dragmas Corticis rubri menſe Aprili præſcripſi, & lætus vidi eum ab hoc tempore, licet poſt febris fugam ne vel ullam Corticis doſim ſumpſerit, ab intermittente omnino liberatum eſſe.

Poſtquam febris ſublata eſſet cum Cortice inſiſtere nolebam, ne ſanguinis circulum ni-

mium intenderet, & denuò narium Hæmorrhagias excitaret.

Profectò methodum poſt ſublatam intermittentem in Corticis uſu perſeverandi jam omnino rejeci. Ab aliquo tempore enim ſuſpicatus ſum id nihil boni præſtare, & fortè aliquando cauſam eſſe, ob quam magna quantitas boni Corticis fruſtra exhibetur.

Notum eſt intermittentes cujuſvis typi Cortice fugatas intra quatuordecim dies, quamvis quotidie in ejuſdem Remedii uſu perſeveretur, plerumque recurrere. An quotidianus Corticis uſus corpus humanum hujus Medicamenti effectibus adeo non poteſt aſſuefacere, ut, dum poſtea adversùs recidivam exhibetur, iners factum ſit & inutile?

Satis jam factum arbitror, dum paroxiſmi recurſum impedire potui. Nihil præterea quam Anodinum præſcribo, ut invadente recidivæ frigoris ſtadio id paratum habeatur. Ægro de cætero in hoc caſu conſulo, ut declinante primo recidivæ paroxiſmo eamdem Corticis quantitatem, quam anteà neceſſariam expertus eſt, aſſumat. Pauco tempore antequam Cortex ruber mihi innotuit, hanc methodum adop-

tavi eamque proficuam credidi: ſed ſex aut octo dragmas Corticis rubri inter duos paroxiſmos exhibendo tam bene jam res mihi ſuccedit, ut rarò unam etiam doſim repetere hactenus opus habuerim. Subſcribor &c

J. SHERWIN.

In Enfield 23. Junii 1782.

EPISTOLA
D. FOTHERGILL,
Medici Londinenſis celeberrimi &c.

Amice Vir!

BEnigniſſimæ poſtulationi veſtræ reſponſurus, quas potero inſtructiones circa novum Corticem, nuper, ſub nomine CORTICIS PERUVIANI RUBRI, in praxim introductum, tibi impertiar. Cum in navi Hiſpanica a noſtris capta inventus fuerit, & aliquam quantitatem Corticis ordinarii admixtam haberet, mihi nihil aliud videtur eſſe quam productum trunci & majorum ramorum ejuſdem Arboris. Manifeſtò eaſdem qualitates ſenſibiles poſſidet, ſed in ſuperiori gradu: ut hinc majorem copiam Extracti Reſinoſi, ut etiam Decoctum & Tincturam magis ſaturata præbeat. Hinc quoque provenit (ut tu nuper annotaſti & ego ob-

ſervavi) quod ejus Decoctum diu aëri aperto exponi poſſit , abſque eo quod illum acoris gradum contrahat, qui paucis diebus Decocto Corticis ordinarii accidit.

Jam a multis annis notatum eſt Corticem Peruvianum ſæpe omnium expectationem fefelliſſe, & præſtantem illam efficaciam, ob quam a ſuperioris ſæculi Scriptoribus tot encomiis celebrabatur , illi defeciſſe. Paucos omnino modò alicujus praxis Medicos invenies, qui primarium ſuum Specificum etiam a regulari intermittente deluſum quandoque non doluerunt; abſque eo quod aliam hujus defectus probabilem cauſam aſſignare poſſent, quam Medicamentum adhibitum minùs genuinum fuiſſe. Ex eo ſequi videretur, vel intermittentes poſterioribus annis ex natura ſua magis pertinaces fuiſſe, vel Corticem, quo uſi ſumus, inferioris qualitatis & minoris efficaciæ, quam ille, qui a SYDENHAMO & multis præclaris hujus viri contemporaneis, de quorum veracitate rationabiliter dubitari nequit, adhibebatur. Poſterius mihi probabilius videtur; præſertim dum conſideratur a multis annis morem ramuſculorum Cortices, ſub *Corticis Convoluti* nomine , ſeligendi, eoſque

(nescio ob quam rationem) latiori trunci Cortici præferendi invaluisse. Hæc præferentia, si posthac probari possit minus fundatam fuisse, (id quod a longo tempore suspicatus sum) multum fortè conferet, ut, cur Cortex toties promissis effectibus non steterit, explicari possit.

In arte coriaria experientia jam dudum pro latiori Quercus Cortice, tamquam ad depsendas pelles ramusculorum Corticibus multùm præstantiori, litem diremit. Utrum hujus contrarium in Medicina locum habeat nulla ratione evidens est; præsertim si vires medicæ Corticis Peruviani proportionatæ sint ejus viribus adstringentibus.

Medici Hispani, ut nuper certior factus sum, adeo de hac re convicti sunt, ut perpetuo latioris Corticis speciem præferant, &, dum in usus alicujus momenti adhibent, tenuiora frustra ab ea separent & rejiciant, quod nuper capta navis revera probabile reddit. (*l*) Futuræ

(*l*) Illud tamen non intelligi debet de latis illis fibrosis & ligneis fragmentis, quæ maximam plerumque partem vilissimi Corticis ordinarii constituunt: hæc enim, cum exteriori Tunica & simul resinosis Cellulis jam indè orbata fuerint, merè ligneâ constant substantiâ & nullas vires medicas possident.

obſervationes hunc verum & genuinum Corticem eſſe, quo Majores noſtri cujuſvis ſpeciei intermittentes, ea certitudine, quam modo eorum nepotes mirantur, jugulabant probabiliter detegent.

Si Cortex e majoribus ramis deſumptus efficacior probetur quam Cortex ramuſculorum, nonne rationi conſentaneum erit credere Corticem trunci vel potius radicis utrumque viribus ſuperaturum? timendum tamen eſt, ne rationes politicæ ad conſervationem Arborum, tam lucroſam mercaturæ partem producentium, ſpectantes indigenas ab omni hujus generis experimento deterreant.

Præclarus Pharmacopola, qui magnam partem hujus navis oneris divendidit, mihi aſſerit multos Pharmacopœos, quibus Corticem rubrum impertiit, & qui ſedulo illius effectus cum illis ordinarii Corticis contulerunt, nullatenus hæſitare, ut rem pro rubro Cortice deciderent. Addit ulterius eumdem a pauco tempore tam rapidè expeti, ut quantitas allata jam tota ferè exhauſta ſit.

Dolendum eſt, pro uſitato more entia multiplicandi, furorem huic innocuo febrifugo

alia amara & adſtringentia admiſcendi nimium adhuc in Praxi Medica prævalere. Sub falſa ſpecie ejus efficaciam intendendi, vires plurimùm poſſunt diminui, & Experimenti exitus, quidquid poſt adhibitum tale mixtum eveniat, ſemper æquivocus redditur. Eo intuitu ut hoc Remedium juſtificarem & certior redderer de ejus effectibus, omnem, quam breve temporis ſpatium permiſit, opportunitatem arripui id purum & ſine aliorum Medicamentorum additione adhibendi. Caſus in quibus præcipuè tentavi febres lentæ putridæ erant, quas ſumma virium proſtratio, ſub veſpertina exacerbatione delirium, nec non de die Breves & dubiæ remiſſiones comitabantur.

Ut brevis ſim, unicum modò exemplum adferam. G. Henton, Serici Textor, hujus ſpeciei febre, Petechiis & profuſa narium Hæmorrhagia ſtipata laborabat. Poſterius ſymptoma ſub febris exacerbatione continuò recrudeſcebat. Acceſſerunt ſudores frigidi, delirium cum muſſitationibus, vellicationes involuntariæ &c. antequam Ægrum inviſerem Cortex ordinarius præſcriptus, & de miſeri rebus actum eſſe pronunciatum fuerat. Sub hoc ſta-

tu, admodum certè ancipiti, rubrum Corticem in appropriatis diluentibus, Spiritu Vitrioli acidulatis præſcribere non timui. A duobus itaque ſcrupulis ad dragmam omni bihorio aſſumpſit, excepto tamen ſub nocturna exacerbatione, qua ſtante ab hoc Medicamento abſtinere ſtrictè injunctum eſt; quia experientia & ſedula obſervatione jam a multo tempore convictus ſum omnia generaliter febrilia ſymptomata, dum aliquod Corticis præparatum hac periodo exhibetur, exaſperari. Æger bene Remedium tulit: Hæmorrhagia ſedata, & febris citò ſublata fuit. Aliquæ jam elapſæ ſunt hebdomadæ, & nihilominus ſumma cum voluptate addere poſſum illum, dum nuperrimè ejus conclave ingrediebar, mihi læto vultu aſſeruiſſe ſe ab eo tempore, quo rubrum Corticem (aut ut magis propriè fortè jam deberet dici, *verum Corticem*) aſſumpſerit, nulla hactenus ſenſiſſe recidivæ ſymptomata &, ſi levem viſus debilitatem, de qua jam ante morbum conquerebatur, exceperis, ab omni morbo eſſe immunem. Si hoc Medicamentum in variis aliis febrium typis eamdem efficaciam præſtare impoſterum inveniatur, idque in minori doſi quam Cortex ordinarius, objectum

certè pro Ægrorum rebus maximi momenti & Medico gratiſſimum evadet : præſertim dum certi de futuro eventu prædicere poterimus:

. . . Hi motus, atque hæc certamina tanta,
Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcent.
VIRGIL.

Ex ejus effectu in hoc & pluribus aliis caſibus, quos mihi obſervare contigit, firmiter adducor ut credam Corticem rubrum brevi omnium attentionem excitaturum. De ejus præſtantia decretoriè ſtatuere tamen differre cogor, donec plurium caſuum, in quibus jam ſub tentamine eſt, eventum reſcivero, & ab illis, quibuſcum commercium epiſtolare habeo, & qui minùs, quam ego, pro eo præoccupati, æquiores judices revera ſupponi debent, ulteriorem confirmationem recepero. Interim itaque opuſculi, quam intendis, publicationem impatiens expecto, ſperans fore, ut, opiniones & obſervata variorum hujus Regni Medicorum ita colligendo, tandem ſtabiliendis Corticis rubri, comparativè ad ordinarium, meritis apti evadamus, quod ut integræ Reipublicæ emolumento & voluptati erit, ita mihi, qui ſubſcribor &c.

A. FOTHERGILL.

6. Julii 1782.

EPISTOLA
D. EDUARDI RIGBY
Præclari Chirurgi Nordovici.

Amice Vir!

ME multum tibi debere, quod Opuſculum tuum de Cortice Peruviano rubro mihi transmittere dignatus ſis, gratus agnoſco; at e modo, quo ad litteras tuas meum reſponſum expetis, video te nimium mihi tribuere.

Inter fortunia numero me rubri Corticis ſummam & conſtantem efficaciam abunde teſtari poſſe. Omnem opportunitatem nactus ſum illum in quavis intermittentium ſpecie tentandi. Eum Ægris ſub diverſiſſimis circumſtantiis ratione ætatis, temperamenti, morbi durationis &c. exhibui, & e plus quam centum & quinquaginta, qui eodem ſub mea cura uſi ſunt, ne vel caſum habui, in quo ſpem meam fefellit; ſed primo ſemper momento, quo adhibitus eſt, paroxiſmum fugavit.

Jam a menſe Octobris 1781. bonâ fortunâ parcam quantitatem hujus Corticis recepi. Eam debebam amico commercio, quod cum D. Talbot Chirurgo in Wymoudham intertineo. D. Hopkins ſpecimen aliquot unciarum,

ut eum tentaret, illi transmiſerat. Illico dimidii me participem fecit. Cùm illo tempore Nordovici & in ejus vicinia intermittentes plurimùm ſævirent, poſtridie ſe occaſio obtulit illum tentandi. In hunc finem peſſimos, quos tunc potui, duos caſus elegi. Prior quartana erat, quæ pluribus menſibus undecim annorum puerum vexaverat, & vires ejus multum infregerat. Alter quotidiana paris ferè durationis, qua Ægra, octodecim annorum mulier, plurimùm quoque debilitata erat. Inſtanti paroxiſmo, utrique dimidium granum *Tartari Emetici* exhibui, quo multa bilis ſtomacho rejecta eſt. Utrique declinante paroxiſmo dedi unciam unam Corticis rubri in doſes duodecim diviſam. Has omnes ante horam, qua futurus paroxiſmus expectabatur, aſſumpſerunt. Neutri febris rediit, & quamvis cum Cortice non perrexerint (omnem enim mihi tranſmiſſum abſumpſerant) nullam recidivam, niſi poſt plures hebdomadas, cum aura valde humida eſſet, paſſi ſunt. Tum febris ſponte, ſine ullo Cortice, ceſſit: tunc temporis enim adeo procul remoti erant, ut ad me pro implorando auxilio mittere non poſſent.

Induxit me fauſtus horum caſuum eventus, ut de ampla quantitate hujus Corticis mihi providerem; qua recepta, illico eum adversùs plures tertianas, quas tum ſub cura habebam, tentavi, & in omnibus promiſſum effectum præſtitit. Circa id tempus nobilem Ægrum, quinquaginta circiter annorum habebam, qui a tribus & amplius menſibus quartana laborabat. Se ipſum curare anniſus fuerat variis Specificis popularibus, e quibus unum magnam quantitatem Corticis ordinarii continebat. Poſtridie paroxiſmi primò illum inviſi. Summopere adhuc ægrotabat: pulſus ejus erat multùm acceleratus; appetitus proſtratus. Mixturam ſalinam præſcripſi, & hauſtum aperientem ante futurum paroxiſmum aſſumpſit. Ipſa autem inſtante febris invaſione ei granum unum *Tartari Emetici* propinavi, quod copioſum vomitum excitavit. Dein ejuſdem dimidium granum omni trihorio aſſumpſit donec paroxiſmus evaneſceret, qui quamvis diu protraheretur, ſolito tamen longiori & abundantiori perſpiratione terminabatur.

Jam Cortex mihi videbatur convenire; ſed cum intermiſſio minùs perfecta eſſet, quam optaſſem, & cum præterea necdum haberem

ſufficientem obſervatorum numerum, quibus mihi de merita fama & efficacia rubri Corticis conſtaret, prudentius duxi Corticem ordinarium adhibere. Aſſumpſit itaque hujus ſcrupulos duos toties repetitos, ut plus quam unciam & dimidiam ante expectatum paroxiſtuum deglutiiſſet; verum Ægro hujus tentaminis eventus parum profuit; nam nihilominus febris præcedentibus nullomodo mitior ſucceſſit. Proximâ apyrexiâ itaque Corticem rubrum tentare ſtatui. Hujus unciam unam in duodecim doſes diviſam Æger inter duos paroxiſmos aſſumpſit, & poſthac ab omni febre immunis fuit. Suaſi ut pro aliquo tempore in Corticis uſu pergeret, & tres ejuſdem ſimiles doſes quotidie caperet, quod, donec adhuc uncias duas abſumpſiſſet, fecit. Ab eo tempore omnino ab hoc Remedio abſtinuit, & quamvis ejus negotia eum cœli tempeſtatibus maximè exponant & ſæpius poſtea permaduerit, nullum tamen hactenus recidivæ veſtigium paſſus eſt.

Ab eo tempore in obviis quibuſcumque caſibus hunc Corticem audacter exhibui, & idem eventus perpetuò ejus uſum ſecutus eſt. Inter eos, qui ejus ope ſanitati reſtituti ſunt,

plures crura œdematoſa, abdomen tumidum & durum habebant; ut in Hydropem præcipiti gradu ruere manifeſtò viderentur. Præterea plus quam viginti erant pueri, & ex illis duo necdum annum exegerant. Unus ægrotus, cujus caſum referam, convincens documentum præbet illius veritatis, quam in opuſculo tuo annotaſti: methodum ſcilicet Corticem in magna quantitate, tempore ad futuri paroxiſmi inſultum propiſſimè accedenti, exhibendi omnium efficaciſſimam eſſe.

Æger nobilis erat viginti quinque annorum, robuſtus, repletus. A quatuordecim circiter diebus vexabatur intermittenti, quæ in principio pro tribus paroxiſmis quartanæ typum ſervaverat; poſt per tres quatuorve dies quotidiana facta erat. Arceſſebar dum poſteriorem typum ſervare inceperat, & febrim admodum intenſam inveni. Methodum ordinariam, quam deſcribere ſupervacuum credo, adhibui; donec Corticem convenire judicaverim. Paroxiſmus, poſt quem eumdem aſſumere incepit, circa horam decimam veſpertinam finiebatur, & alter inter meridiem & horam primam expectabatur. Cum brevis eſſet apyrexia, a doſibus integræ dragmæ in-

choatum eſt. De nocte nuntius ad me miſſus retulit Ægrum Corticem omnino averſari, & continuò ſtomacho ejicere. Suaſi ut inſiſteret, & ut id, quod evomuiſſet, conſideraret, ac ſi non foret aſſumptum, & ei ſtatim alia doſi ſuppleret. Inter quintam & ſextam matutinam denuo ad me miſit, ut eum inviſerem. Admodum defatigatum inveni defectu ſomni, a quo repetitis conatibus Corticem capiendi impeditus fuerat. Exceptâ primâ omnes Remedii doſes vomitu rejectæ fuerant, & ſe ſtomacho deinceps id Remedium numquam retenturum Æger ſibi perſuaſum habebat. Impetravi tamen, ut ſtatim mediam doſem aſſumeret, quæ retenta fuit. Aliquo tempore apud eum moratus, poſt horam & dimidiam eamdem quantitatem repetii, quæ ſimiliter retinebatur. Suaſi tum, ut ſingula media hora cum eadem doſi pergeret, & abii. Inter octavam & nonam iterum arceſſebar, & eamdem narrationem de Remedii vomitione Æger denuo inſtituit. Hoc non obſtante aliam doſim ei propinavi, quam illico, antequam ejus aliquid deglutiiſſet, ore rejecit. Id obſervans in modum, quo alias doſes evomuiſſet, accuratius inquiſivi, & e narratione Miniſtri omnino con-

victus fui numquam deglutitum fuiſſe, quod vomitu ejicere putaverat. Infortunata hac Remedii adminiſtratione tantum dragmas duas & dimidiam loco quinque aſſumpſerat, & ut unciam abſumpſiſſet remanebant dragmæ quinque & dimidia, quæ tempore trium circiter horarum aſſumi debebant. Statui tamen, ut inſiſteret & certus omne quod revera in ſtomachum dimiſſum fuerat retentum fuiſſe, neque amplius timens, ne deinceps vomitu rejiceretur, illico ei dragmam exhibui, & ſingula media hora, aut ad ſummum ſingulis tribus horæ quartis ſimilem ei doſim commendando, totum ante expectati paroxiſmi horam abſumptum eſt. Febris hac methodo feliciter fugata eſt, & ab eo tempore optimè valuit. Nox integra ſine ſomno tranſacta; ægri angor & defatigatio, tot inanium ad aſſumendum hoc Remedium moliminum effectus, pravæ pro ipſius rebus circumſtantiæ erant, & efficiebant, ut febris minùs perfectè, quam aliis vicibus, intermitteret: ejus calor etenim intenſior erat, & pulſus celerior, quam pro exhibendo Cortice paſſim deſideratur. Coronavit tamen eventus meam conſtantiam, & hujus Remedii efficaciam egregiè ſtabilivit.

Cum multi meorum Ægrorum pauperes fuerint & craſſæ Minervæ homines; aliqui etiam tam procul ab hac urbe habitarent, ut tantùm generaliores inſtructiones eis præbere, & nullatenus exactam illorum curam gerere potuerim, facilè concipies hujus claſſis plurimos negligenter hoc Remedio uſos fuiſſe. Scio aliquos præſcriptam quantitatem non aſſumpſiſſe, & Juvenem ruſticum, robuſtum, ſeptemdecim annorum poſtea reviſi, qui in duabus doſibus unciam abſumpſerat: omnes tamen illico curati ſunt. Hujus claſſis Ægro, octo annorum puero, qui a duobus & ultra menſibus quotidiana vexatus fuerat unciam dimidiam hujus Corticis præſcripſeram; ea lege, ut inter paroxiſmum, qui circa diei lunæ meridiem terminari debebat & inter illum, qui die martis eadem circiter hora expectabatur, eamdem abſumeret. Die ſabbati ſequenti Pater puerum curatum eſſe renuntiatum venit. Examine inſtituto, quo modo Æger Cortice uſus fuiſſet, ſtupui illum tunc temporis nondum dimidiam illam unciam aſſumpſiſſe: nam dum illi dixi intentionem meam fuiſſe, ut puer una die omnem quantitatem caperet, reſpondit ſe intellexiſſe, id tantùm inter diem

lunæ & diei ſabbati noctem oportere: ita ut manifeſtum ſit puerum prima die non plus quam dragmam aſſumpſiſſe, quam tamen ad fugandam febrim ſufficere eventus probavit.

Ex allato caſu & quibuſdam aliis, qui mihi occurrerunt, ut etiam ex illis, qui tibi ab Amico meo D. SHERWIN Chirurgo in *Enfield* communicati ſunt, conjici poteſt multò minorem hujus Corticis quantitatem, quam paſſim adhiberi ſolet, votis reſponſuram. Res parvi laboris foret id ulterioribus experimentis ſtabilire, ſed jam nec in minori quantitate præſcribere volo, nec aliis Medicis, donec hujus Corticis fama prorſus ſtabilita ſit, id tentare ſuadeo: tam diu etenim quam præjudicatæ opiniones aliquorum Practicorum novi cujuscumque Remedii oſorum & commodum quorumdam Pharmacopolarum, qui amplam copiam Corticis ordinarii poſſidendo probabiliter damnum patientur, omni niſu generaliori ejus uſui ſe opponent, deſiderandum eſt, ut teſtimonia pro eo allata non ſolùm ſolida ſint & conſpicua, ſed etiam, ut ejus ſucceſſus tam uniformes ſint & conſtantes, quam Remedii natura permittit. Hanc ob rationem, cum quantitas, quam hactenus adhibui, uncia

ſcilicet pro adultis & proportionatè minor pro pueris doſis, ne ſemel quidem me fefellerit, quantitatem hanc minuere nollem, ne ſolito effectu fruſtrari aliquando pericliter.

Dum paucos hos caſus attuli Ægrorum nomina adducere inutile judicavi: ſed cum circumſtantiæ, quibus novi Medicamenti præſtantia probatur, nimis cognitæ eſſe nequeant, illorum, qui hujus Corticis ope ab intermittenti liberati, & in hac vicinia optime noti ſunt, ut memoriæ meæ occurrunt, catalogum addam. (*m*)

Quod ad Corticem Peruvianum ordinarium ſpectat, non obſtantibus ſummis omnium de ejus inefficacia querelis, ab aliquibus annis meam tamen expectationem non adeo fefellit, nec eum tam inertem expertus ſum, quam aliis videtur. Fateor revera me ab aliquo tempore ſolito majorem quantitatem debuiſſe adhibere, & dum ab uncia & dimidia ad duas uncias in ſubſtantia præſcripſi non ſemper illico

(*m*) Author viginti octo Ægrorum, qui Cortice rubro ab intermittente liberati & priſtinæ ſanitati reſtituti ſunt, hic nomina addit. Ea in hac Traductione relinquere ſupervacuum laborem judicavi. *Interpres.*

paroxiſmum potuiſſe impedire : ſed dum ab Ægris impetrare potui, ut in ejus uſu & in eadem quantitate perſeverarent, fugandæ, poſt ſecundam a prima exhibitione intermiſſionem, febri numquam defuiſſe novi.

Nulla mihi videntur motiva dari, ob quæ Cortex ordinarius, qui jam ab aliquibus annis in uſu eſt, a priſtino aut primitus introducto diverſus credatur. Sive in fruſtis, ſive in pulvere; ſive ejus decoctum, vel aliud quodvis præparatum conſideretur, quantùm e ſapore & aliis ejus dotibus judicare licet, mihi ſaltem omnino idem & talis videtur, qualem ſemper vidi. Ob hanc rationem naturæ hoc productum degeneraſſe, aut Pharmacopolas fraude aliqua, qua virtus ejus medica diminui poſſet, uſos eſſe, ut vendibilior redderetur, aut lucrum augeretur, numquam ſuſpicatus ſum.

In his regionibus a duobus annis febres intermittentes frequentiones fuerunt, quam umquam ante fuiſſe quiſpiam Medicorum meminit. Probabiliter eadem cauſa, quæ eas frequentiores eſſe fecit, eas etiam pertinaciores, pejoris moris, & conſequenter difficiliùs fugandas reddidit; ac potius huic cauſæ, me

judice, quam qualitatis Corticis mutationi, generalis adeo ejus efficaciæ defectus attribui debet. In ſumma itaque ex experimentis cum utroque Cortice inſtitutis & ſæpe repetitis perſuaſum habeo, eos eaſdem vires medicas, rubrum tamen in longè ſuperiori gradu, poſſidere. Hæc opinio veſtræ ſuppoſitioni, eos ſcilicet ejuſdem arboris producta eſſe; ſed ordinarium e minoribus ramis, rubrum verò e majoribus & trunco deſumi, multùm favet.

Hac Corticis ſpecie ſingulari cum oblectamento uſus, ut generaliùs introducatur, ſincerè deſidero, & certus ſum quemvis practicum, dummodo ritè & ſufficienter tentaverit, illico eamdem pallidiori ſeu ordinariæ ſpeciei prælaturum. In alicujus Medicamenti adminiſtratione nihil gratius Medico, utpote Ægri animum egregiè erigens, eſſe poteſt, quam ejus effectus cum fiducia & certitudine poſſe referre & prædicere. Hoc attributum, ut etiam virtus in longè minori quantitate Medici propoſito ſatisfaciendi, peculiares Corticis rubri dotes ſunt. Quamvis etenim non dubitem, quin in majoribus doſibus Corticis ordinarii perſeverando plerumque res proſperè ceſſura ſit,

aliquando

aliquando tamen maximas difficultates cum Ægris habui, qui eumdem in magna quantitate assumpserant, absque eo quod, illico meis votis respondens, post primam ab assumptione intermissionem paroxismi reditum impediisset: post talem defectum enim non semper facile fuit Ægris persuadere, ut in tanta quantitate tam nauseosum Medicamentum assumere perseverarent; præsertim dum a vulgaribus adversus Corticem Peruvianum præjudiciis non omnino immunes erant. Aliquibus recepta opinio est, si non promptam & immediatam opem ferat, eum certè nocere.

Illico litteræ D. Talbot, quem mihi primum rubri Corticis specimen transmisisse superius memini, mihi traduntur. Cum ad subjectum nostrum spectent, earum extractum hanc, jam inde nimis protractam, epistolam terminabit. Me certiorem reddit se a tempore, quo Corticis rubri efficaciam primò expertus est, non alio adversus intermittentes usum fuisse, eumdemque plus quam quinquaginta Ægris exhibuisse, absque eo quod hactenus casum habuerit, in quo febris illico non fuit remota; licet antea in usu Corticis ordinarii

admodum infelix fuiſſet. Caſum memorat, in quo quatuor unciæ Corticis ordinarii fruſtra adhibitæ fuerant, & uncia & dimidia Corticis rubri illico paroxiſmum fugavit. Addit ulterius ſe nuper in ejus effectus apud quoſdam vicinos Practicos, quibus hoc Medicamentum commendaverat, inquiſiviſſe, eumdemque D. SWALLOW ex *Watton*, D. BRINGLOE ex *Hingham*, D. GIBBS ex *Buckenham* & duobus tribuſve aliis æquè proſperè ceſſiſſe. Subſcribor &c.

E. RIGBY.

Nordovici 8. Septembris 1782.

EPISTOLA

D. J. MADDOCKS

Noſocomii Londinenſis Medici.

Amice Vir!

POſtulationi tuæ ſatisfacturus, quæſtionum ad Corticem latiorem & rubrum nuper in Angliam introductum ſpectantium, quas mihi propoſuiſti, ſolutiones tibi tranſmitto.

In prima quæſtione petis, quid cogitem de viribus medicis hujus Corticis reſpectivè ad

illas Corticis pallidioris, tenuioris, & convoluti, qui a longa annorum ſerie in hac regione omni alia ſpecie præſtantior habitus eſt.

Cum ſerius me admonueris, & vix mihi jam otium ſuperſit, in reſponſione ad hanc quæſtionem nec varias morborum ſpecies, in quibus opportunitatem habui ejus efficaciam obſervandi, attingere, nec paucorum illorum morborum, de quibus agam, particulares caſus deſcribere potero. Me ſatisfeciſſe ſpero, ſi mearum obſervationum ſummam dedero.

Morbi, qui mihi frequentiores occaſiones præbuerunt Corticem rubrum tentandi & in quibus manifeſtiſſimè de majori ejus efficacia concludere potui, febres intermittentes fuerunt.

Circiter menſe Octobris 1781., ſi bene meminero, primò Cortice rubro in Noſocomio Londinenſi uti incepimus. Differentia, quoad efficaciam, inter hunc Corticem & ordinarium illico adeo animadvertebatur, ut D. Dickson præclarus meus Collega & ego hujus Noſocomii Curatoribus in hebdomadorio eorum conventu commendaremus, ut a Pharmacopola, qui primum ſpecimen ſuppeditaverat, omnem

hujus Medicamenti copiam, quanta etiam foret, emerent; de quo propofito a Curatoribus fine ulla hæfitatione illico decretum eft.

Rariffimè, fi umquam, Nofocomium Londinenfe fine infigni Ægrorum febre intermittenti laborantium numero invenitur: huic rei refpectiva *Icenorum* Provinciæ vicinitas non parùm favet. Dum, ante introductionem rubri Corticis, ordinarium in omni cafu adhibere folebamus, eum egregiis illis efficaciæ notis, quæ illi a SYDENHAMO ejufque Contemporaneis adfcribebantur, multùm deftitutum experti fumus.

Quod ad me attinet, afferere poffum in cafibus febrium intermittentium rariffimè in hoc Nofocomio primo Conatu, quanta etiam Corticis ordinarii copia fub apyrexia adhibita fuiffet, paroxifmi reditum impeditum, vel ipfam febris violentiam imminutam vidiffe: fed in genere, ut morbi progreffus fifteretur, vel febris impetus compefci poffet, maximæ dofes fæpius ac pro multo tempore repetitæ neceffariæ fuerunt. In pluribus etiam cafibus, cum nihil omnino proficerem, ab ejus ufu defiftere & ad alia remedia tranfire convenientius judicavi.

Ab altera parte ſæpiſſimè Corticem rubrum tempore apyrexiæ exhibitum a primo momento paroxiſmum omnino impediiſſe vidi. Quod ſi non effeciſſet, ſaltem ſubſequens febris multùm imminuta erat, & morbus in omni caſu brevi ſpatio auferebatur.

In multis horum caſuum, in quibus ſupradictos ſalutares effectus rubri Corticis obſervavi, ordinarius præviè tentatus & pro longiori vel breviori tempore fruſtra continuatus fuerat.

Ægri, qui pro re nata opem & Medicamenta quæſituri ad Noſocomium veniunt, multò numeroſiores ſunt, quam qui in eodem decumbunt. Inter illos multæ cujuſvis typi febres intermittentes occurrunt. In his caſibus Cortex ruber ſe non minùs præſtantem præſtitit, quam in illis, qui in Noſocomio decumbunt.

Dum Corticem ordinarium adhibere ſolebam, ſemper magnæ ejuſdem doſes ad curam requirebantur, & Ægri denuo & denuo idem Remedium repetituri redibant: ſed ab eo tempore, quo rubrum præſcibo, plurimi Ægri numquam redierunt. Illorum verò, qui reverſi ſunt, aliqui retulerunt præſcriptam doſim

tempore primæ intermiſſionis aſſumptam paroxiſmi reditum omnino & ſtatim impediviſſe; alii, ſubſequentes paroxiſmos multùm fuiſſe imminutos. In reliquis caſibus, quorum eventum reſcire potui, morbus brevi ſublatus eſt.

Unicam morbi ſpeciem attingendo, in qua rubri Corticis præſtantiam obſervandi opportunitatem nactus ſum, tibi moleſtus ero. Comprehendit hæc dolores periodicos, inter quos ſæpiſſimè occurrens & notiſſima Cephalalgia periodica eſt.

Similium tamen morborum caſus ſatis frequenter mihi occurrunt, in quibus variæ aliæ corporis partes affectæ ſunt: in horum aliquibus, ad Ægri ſenſum, doloris ſedes ſunt parietes Abdominis vel Thoracis, frequentiùs tamen prioris. In aliis contenta aliqua harum cavitatum pars, ſæpius tamen abdominalis, pati videtur.

Plures tales caſus, in quibus morbi ſedes contenta aliqua cavi abdominalis pars videtur, obſervavi, & inter illos aliqui mihi occurrerunt, in quibus ſtante paroxiſmo intenſa Pyrexia; dolor acutiſſimus & plurima vel omnia inflammationis viſceris, quod e loco doloris

morbi ſedes videbatur, characteriſtica ſymptomata aderant.

Hi caſus tamen ab inflammationibus differunt, quod intermiſſio eorum paroxiſmum excipiat; quod periodicè redeant; ferè ſemper quotidianam, aliquando tertianam, in aliis caſibus minùs regularem typum ſervent, & quod ſanguis ſub ſumma paroxiſmi ferocia detractus nullatenus ſe præbeat phlogiſticum.

Dum in his morbis, Remediis tempore intermiſſionis adhibitis, ſcopus eſt paroxiſmi reditum impedire, tonica procul dubio non ſemper conveniunt. Eorum aliqui, ut Cephalalgia periodica in ſubjecto juvenili & plethorico, quandoque evacuationes poſtulant: ſed dum Tonica indicari judicabam, & huic indicationi ſatisfacturus rubrum Corticem præſcripſi, eum in his caſibus, reſpectivè ad Corticem ordinarium, tam efficacem expertus ſum, quam in febribus intermittentibus.

Argumenta, quibus ſententiam meam de præſtantia rubri Corticis in ſupradictis morbis ſtabilirem, præcipuè e caſibus Ægrorum in Noſocomio decumbentium deduxi; quia ob majorem numerum meliorem opportunitatem

comparationis ſuppeditant: ſed ex obſervationibus, quas in privata praxi circa eoſdem morbos, ut alios præteream, collegi, eædem concluſiones deduci poſſunt.

Quid de natura rubri Corticis ſentiam; cujus Arboris productum ſit; an ejuſdem quæ Corticem tenuem, convolutum, ordinarii uſus largitur; an diverſæ, a me ſcire deſideras. Me judice vix dubium ſupereſt, quin ex eadem Arbore deſumantur. Eorum qualitatum ſenſibilium differentiam non ex alia cauſa deducendam puto, niſi quod Cortex tenuis convolutus juniorum Arborum, omnes partes adhuc tenuiores habentium, productum ſit, vel, ſi ex adultioribus quandoque deſumatur, non ſit niſi Cortex ramuſculorum: ubi interim Cortex ruber ad adultas Arbores pertinet, & non niſi e trunco vel e majoribus ramis deſumitur.

Aliqua argumenta partim a te ipſo, partim ab illis, quibuſcum de hac re epiſtolare commercium inſtituiſti, ſuggeſta, quæ in opuſculo tuo reperio, ut in hac concluſione perſiſtas, te inducere debent. Ut eamdem amplecterer ſequentes rationes præcipuè me moverunt.

Primò, quia Cortex ruber qualitatibus ſuis ſenſibilibus & aliis a tenui, & convoluto non differt, niſi majori præſtantia.

Secundò, quia notiſſimum eſt omnium ferè vegetabilium qualitates ſenſibiles & vires reſpectivè minùs evectas eſſe in junioribus plantis & ſurculis.

Tertiò, quia Coriarii experientia didicerunt quercûs Cortices e trunco & majoribus ramis deſumptos vires adſtringentiores poſſidere, quam qui e ramuſculis deſumuntur, & illos ab hanc rationem ſemper præferunt.

Ultimò, me moverunt a te mihi exhibita Corticum quercus ſpecimina, quæ mihi trunci & majorum ramorum Corticem cum Cortice ramuſculorum conferendi opportunitatem ſuppeditarunt, & clarè monſtraverunt latioris ſpeciei Cortices coloris rubicantis eſſe & expanſos; tenuioris verò pallidioris & convolutos; quas differentias in duabus Corticis Peruviani ſpeciebus præcisè obſervamus.

Unicam adhuc annotationem addam. Nempe, dum ſummam efficaciam a SYDENHAMO & MORTONO Cortici Peruviano adſcriptam & præ-

ſertim certitudinem conſideramus, qua apud illos Viros febres intermittentes curaſſe affirmatur; quas vires Cortici tenui convoluto nemo certè medicorum tribuet; dum ulteriùs perpendimus deſcriptiones Corticis Peruviani, qui tum in uſu erat, a Materiæ Medicæ Scriptoribus illuſtrium dictorum Virorum contemporaneis ſuppeditatas, non convenire Cortici convoluto, ſed exactiſſimè rubro; & ultimò dum cernimus incolas Novæ Hiſpaniæ & etiam Antiquæ (ſi vera mihi a Viro nuper ex illa regione reduce relata ſunt) Corticem rubrum pluris facere, rationi omnino conſentaneum videbitur concludere Corticem rubrum revera hujus Medicamenti ſpeciem eſſe, cujus efficaciam SYDENHAMUS & MORTONUS tantis laudibus extollebant, & quæ apud hos Viros eorumque contemporarios in communi uſu erat.

Ut concludam, opuſculum, quod meditaris, non ſolùm tamquam reipublicæ utiliſſimum, quia optimi & efficaciſſimi Medicamenti famam ſtabilire & uſum extendere intendit; ſed etiam tamquam maximè neceſſarium, ut præoccupatorum aut lucro ductorum hominum, qui meritæ ejus famæ ſe opponunt & uſum im-

pedire tentant, moliminibus reſiſtat, omni commendatione dignum cenſeo. Subſcribor &c.

J. MADDOCKS.

20. Septembris 1782.

D. KEIR Noſocomii DIVI THOMÆ Medicus me certiorem reddit circiter centum & quinquaginta libras Corticis rubri in eodem Noſocomio præſcriptas fuiſſe &, ut judicat, feliciori cum eventu, quam a Cortice communi paſſim obſervari ſolet.

In ejus praxi non ſolùm adverſùs intermittentes præſcribebatur, ſed etiam in Gangræna, Ulceribus Phagadænicis, convaleſcentia poſt febres aliiſque obviis morbis, in quibus Cortex communis alioquin datus fuiſſet, adhibitus fuit.

D. KEIR, ut reſpondeat ad objectionem a me allatam & refutatam, obſervat ſe, ſub uſu Corticis rubri in tot & tam variis morbis, ne vel caſum vidiſſe, in quo nocivos effectus produxiſſe credi potuiſſet.

EXTRACTUM EX EPISTOLA

D. SHIREFF

Præclari Chirurgi & Pharmacopolæ in Deptford in Cantii Provincia.

POstquam annotavit ſitum Vici *Deptford* & ejus viciniæ Incolas febribus intermittentibus pertinaciſſimis maximè obnoxios reddere, quarum etiam aliquas curatu difficiliores expertus eſt, quam quas in parte occidentali *Sumatræ*, ubi ſymptomatibus gravioribus quam in Europa ſtipantur, vidit, ita proſequitur " e multis ægris, quos ſub cura habe-
„ bam, ut Corticis rubri vires tentarem, tres
„ ſequentes caſus elegi. Ut plures particula-
„ ritates præteream tantùm annotatum volo,
„ Corticem ordinarium ſingulari modo in om-
„ nibus defeciſſe. Quiſque plures recidivas
„ paſſus fuerat; præſertim primi caſus Ægra
„ ſpatio novem menſium, quibus in Provincia
„ Lincolnii cum morbo conflictata fuerat, vix
„ habuerat inducias. Ut experiretur quid
„ aëris mutatio poſſet, huc venerat. Prius-
„ quam eam vidi jam inde tres menſes hic
„ ſine beneficio exegerat. „

CASUS PRIMUS.

Mulier generosa, infirmæ valetudinis; naturaliter tamen nervosi corporis habitus, præterito autumno in Provincia Lincolnii tertiana simplici corripiebatur, quæ a tempore trium mensium, quo huc advenerat, quartanam typum assumpserat. Cum a Cortice aliisque Remidiis vix solamen habuisset opem medicam implorare cessaverat; sed maritus summa debilitate, qua paroxismus stipabatur, perterrefactus me advocari jussit. Dictæ particularitates mihi relatæ sunt. Ictericum Ægræ habitum, crura tumida & alia summæ debilitatis symptomata inveni. Post aliquas difficultates ab ea impetravi, ut Medicamenta denuo assumeret. Illico ergo Corticis rubri plures doses, quarum singula tantùm scrupulum continebat, ei misi; cumque quodvis oblatum fastidiret, suasi, ut sub universali sudore, dum sitis & dolor capitis minuerentur, eas tantùm inchoaret & singulis quatuor vel sex horis repeteret. Hoc modo pro quatuor vel quinque diebus in hoc Medicamento perrexit. Tum, cùm subsequens paroxismus præcedentibus multò mitior esset, ab ea non potui im-

petrare, ut Corticem tam frequenter aſſumeret. Pro quatuordecim adhuc diebus tamen ejus uſum continuavit, & quatuor ſcrupulos quotidie aſſumpſit, qui febrem omnino jugularunt. Optima jam fruitur valetudine.

CASUS SECUNDUS.

Nobilis Juvenis, naturaliter robuſtus & integræ valetudinis, plures duplicis tertianæ paroxiſmos, abſque eo quod ullam medelam adhiberet, ſuſtinuerat. Naturæ rem & curam potiùs committere ſtatuerat, quam tantas & tot doſes Corticis Peruviani aſſumere, quantas & quot aliquibus abhinc menſibus ſine ullo conſtanti effectu aſſumpſerat. Verùm cum delirium paroxiſmo ſuperveniret, Conſanguinei circa noctis medium me advocari juſſerunt. Ægrum mentis compotem, profuſis ſudoribus diffluentem & ſtragulis obrutum inveni. Lecti vela accuratè clauſa erant, & Aër externus accuratè e cubiculo excluſus. Remoto omni obſtaculo, quod Aëris renovationi ſe opponebat, Ægri corpus panno ſicco abſterſi, & potui ſervido, admixtis aromatibus incendiario, Aquam, in qua panis toſtus infuſus fuerat, Succo Citri acidulatam alioſque potus diluen-

tes actu frigidos ſubſtitui. Impetravi ut unicum adhuc Medicamentum tentaret. Illico ergo dragmam dimidiam Corticis rubri aſſumpſit, & omni quadrihorio repetiit. Ita primo ictu proximè ſecuturus paroxiſmus fugatus eſt. Tribus tantum quotidie doſibus per tres adhuc dies aſſumptis, omnia Remedia ſepoſuit. Nullam recidivam tamen paſſus eſt, & jam rectè valet.

CASUS TERTIUS.

Vir generoſus, cùm veſperâ humidæ tempeſtati ſe expoſuiſſet, ordinariis febris ſymptomatibus correptus eſt. Illico Emeticum, poſtea alvum laxans ei propinatum eſt. De intermittente nihil ſuſpicans iter Londinum inſtituit: ſtata tamen periodo denuo febricitavit, &, quia imprudenter ſub ipſa invaſione domum regredi perrexit, graviſſimum paroxiſmum paſſus eſt. Dum ſub febrilium ſymptomatum declinatione cutis madeſcebat, Corticis rubri dragmam dimidiam omni trihorio præſcripſi. Paroxiſmus poſthac non rediit, & frequenter Cœli viciſſitudinibus ſe exponens rectè tamen valere pergit. Suaſi, ut bis de die parvam doſim hujus Remedii continuaret. Subſcribor &c. J. L. SHIREFF.

In Deptford 14. Septembris 1782.

ALTERA EPISTOLA
D. FOTHERGILL,
Medici Londinenſis &c.

Amice Vir!

CUm Medici, laudabili ſtudio, jam ab aliquo tempore Cortice Peruviano rubro occupati ſint, & hujus rei exitus non parum profectò ad Reipublicæ commodum ſpectet, liceat mihi, obſecro, ulteriores aliquas annotationes raptim exaratas, quæ poſt datas antè ad te Litteras mihi in mentem venerunt, judicio tuo ſubmittere.

Allatum a te teſtimonium tot præclarorum Practicorum, qui, ut ejus defectus reticerent, aut vires exaggerarent, ſeducti eſſe nequeunt, ulteriora argumenta, quibus ejus præſtantia probaretur, ſupervacua reddit: recentia alioquin aliqua ſucceſſûs exempla in inveteratis intermittentibus, quæ Corticem ordinarium omnino eluſerant, adferre potuiſſem. Quæcumque igitur dubia aut difficultates, circa ejus cum Cortice a MORTONO & SYDENHAMO adhibito identitatem, impoſterum movebuntur, numquam facta, quibus ejus efficacia ſtabilita

bilita eſt, elidere poterunt. Circa initium hujus ſœculi revera in uſu fuiſſe tamen probabile videtur.

Cortex Peruvianus anno 1702. in capta Navi præſidiaria Hiſpanica inventus, cujus portiunculam D. PEARSON, ante quartuor annos adhuc præclarus hujus Urbis Pharmacopœus, acquiſivit, ex omnibus circumſtantiis videtur idem Medicamentum fuiſſe, de quo jam agitur. Quod verò magis attentionem noſtram meretur eſt, quod poſt ſpatium ſeptuaginta & octo annorum fortiorem adhuc Decoctionem ſuppeditet, & in febrium aliorumque morborum cura præſtantiorem ſe præbeat, quam Cortex ordinarius: manifeſto argumento hanc Corticis ſpeciem vires medicas diutiùs retinere, quam exiſtimari potuiſſet. In ulteriorem confirmationem ſingularis hujus proprietatis, & etiam ut probetur eum jam ante in hac regione in uſu fuiſſe, ſine mihi e Celeberrimo LISTERO locum notatu dignum, & aliquas characteriſticas Corticis notas indicantem tranſcribere: " Propria „ experientia teſtor, me ante viginti annos „ CORTICE TRUNCI ſæpe uſum eſſe ad CRASSI- „ TIEM ET LATITUDINEM VOLÆ MANUS, MAGNIS „ ET PROFUNDIS SULCIS ET FISSURIS CONSPI-

„ cuo, velut in vestuta Arbore: imo eum-
„ dem aliquando valdè cariosum putridumque
„ ex necessitate, quod melior nullo pretio
„ tunc temporis haberi potuit, & olim & nunc
„ vix umquam frustravit eventu optimo &
„ desiderato; maximè si ejus modus & tempus
„ exhibitionis ritè observantur. „ (*n*) Huic ulteriùs adde argumentum, quod mihi nuper D. Smith, provectæ admodum ætatis prope *Andoverum* Medicus, benignè impertiit. Asserit mihi Vir ille, quod obtento Corticis rubri specimine, "ex odore, sapore & colore
„ illico recognoverit, illum eumdem esse, qui
„ abhinc quinquaginta annis in communi usu
„ erat. „ His recentia quædam exempla ejus successûs in febribus intermittentibus, quæ Cortici ordinario restiterant, subjungit.

Ab anno 1640., quo Cortex Peruvianus primò in Hispaniam allatus est, ejus fama continuò credit, donec Incolæ *Loxæ*, deficientibus vetustis Arboribus non decorticatis, eum adjectis aliis Corticibus adulterarent; quo detecto,

(*n*) De hydrophobia pag. 56. Authori; mihi in impressione Amstelodamensi anni 1698. pag. 71. *Interpres.*

adeo infamatus eſt, ut anno 1690. multæ ejus ciſtæ in *Piuræ* repoſitoriis, quarum nulla divendi poterat, accumulatæ eſſent. Ob hanc ſophiſticationem, & quia in doſibus nimis parvis, hinc inutilibus, adhibebatur, publicam expectationem tam frequenter fallebat, ut omnino rejiceretur: donec TALBOT Medicus Anglus, vir audax & ad omnia promptus, magis adæquatas genuini hujus Medicamenti doſes exhibendo, ejus exiſtimationem reſtitueret. Tam rapidè itaque tum ejus fama crevit, & quaquaverſum ſparſa eſt, ut Hiſpanis Mercatoribus tandem difficile fuerit, omnem, qui petebatur, latiorem & ex adultis Arboribus deſumptum Corticem emptoribus ſuis ſuppeditare: hinc partim neceſſitate, partim politica œconomia ſubſtituerunt Cortices tenuiores, quibus fora europæa jam diu repleverunt. Hinc explicari poteſt, cur Corticem convolutum, qui faciliùs præparatur & promptiùs in magna quantitate, idque ſine Arborum exitio, obtinetur, extollere affectent. Celeb. DE LA CONDAMINE, qui *Loxæ* abhinc quinquaginta annis aliquo tempore moratus eſt, aſſerit Corticem rubrum reliquis ſpeciebus præſtantiorem haberi, ſed etiam tunc tem-

poris ob allatas rationes admodum rarum fore. (*o*)

Cortex Peruvianus ab aliquibus annis tanti momenti in Mercatura factus eſt, ut Mercatores noſtri talem ſibi procurare gaudeant qualem poſſunt; ſed nullum ingenuum Medicum Hiſpanum, qui utramque ſpeciem tentavit, utram præferret hæſitaturum ſuſpicor.

Cum quantitas Corticis rubri hactenus allata minimè ſufficiat, ut omnibus petitis ſatisfiat, non ſupereſt, niſi ut ſedulò juniores practicos moneamus, ne ex inſtitutorum experimentorum ſumma concluſiones minùs æquas præcipitantiùs deducant; ſed donec, allato novo hujus Corticis ſupplemento, cum majori certitudine de reſpectivis viribus decernere poſſint, judicium differant.

Cum hactenus in intermittentium cura ſe efficaciorem & promptiorem Cortice ordinario promittat, majori etiam circumſpectione Medicus uti debebit, ut veram morbi indolem, & quo vergat, queat determinare: ſcilicet, an febris ſit primaria, an ſecundaria tantum af-

(*o*) Mémoires de l'Academie des Sciences. 1738.

fectio; an nullum obſtaculum præviè auferri debeat; an nulla indicatio Corticis uſum excludat, & demum utrum ſubita periodicorum illorum motuum ſuppreſſio periculoſiores turbas producere nequeat.

E promiſcuo, in morbis indole ſua tam directè oppoſitis, Corticis Peruviani uſu ſuſpicari cogor inactivitatem univerſalis hujus Panaceæ, ab aliquo tempore tam deploratam, fauſti potiùs ominis fuiſſe, & ſeriem malorum, quæ præpoſterum genuini Remedii uſum excepiſſent, plerumque impediviſſe.

In omnibus intermittentibus merè idiopathicis, epidemica conſtitutione oriundis, nullo alio morbo, vel interna imflammatione ſtipatis ſine hæſitatione & audactar Cortex adhiberi poteſt, & in urgentiſſimis hujuſmodi caſibus, in quibus breviſſima remiſſio obſervatur, quales in locis paludoſis & regionibus calidioribus præciquè occurrunt, hoc Remedium nec nimis citò nec nimis larga manu adhiberi poteſt. Sub ſtatu tam ancipiti tempus præceps non admittit evacuationes præparatorias; haſque præterea, ſi non nocivas, ſaltem plerumque inutiles eſſe tecum ſentio.

Concedendum eſt e contrario intermittentes quandoque ab alio morbo pendêre, ſeu merè ſymptomaticas eſſe, & ab attento Practico potiùs tamquam Remedia, quam tamquam morbos debere conſiderari. Ut in podagra dolor, inflammatio & tumefactio articuli non eſt princeps morbus; ſed tantum effectus criticæ metaſtaſis, morbi principis curam molientis; ita in quibuſdam caſibus paroxiſmi febriles ſalutaria naturæ conamina ad ſubigendam cauſam aliquam morbificam, vel pertinacem aliquem morbum magis exitialem ſuperandum, debent haberi. In ſimilibus caſibus juvanda eſt natura; non ſpolianda illis armis, quibus Paralyſes, Epilepſias alioſque morbos herculeos, quos tota Ars Medica alioquin non debellaſſet, quandoque vincit.

Hoc peracto paroxiſmi febriles ſponte ceſſant, vel tutò efficaciſſimo hoc febrifugo fugari poſſunt.

Non deſunt ex alia parte exempla, in quibus ſuperveniens febris priorem morbum non ſolùm non tollit, ſed etiam ejus ſymptomata multùm exaſperat, &, ſi ſibi relinquatur, periculoſos alios morbos producit. Diverſos hos

casus accuratè & præcisè discernere in Medico scientiæ & judicii gradum requirit, qui in hodiernæ praxeos tumultuosa festinatione nimis rarò occurrit.

Quod ad generalem Corticis Peruviani operationem spectat, omnino approbo quæcumque de hac re satis abundeque adduxisti. Sequentes duntaxat animadversiones licentior subnectam.

Medici, dum febrium putridarum aliorumque obstinatorum morborum curam Cortice Peruviano aggrediuntur, maximè soliciti videntur, ut totam fluidorum massam specifica ejus virtute imbuant: verùm, utut hoc Remedium, nervosæ tunicæ canalis alimentarii applicatum, egregium se præstet, naturæ tamen intentio mihi nullatenus videtur, ut sanguinem subintret; atque ideo, ne in interiores machinæ nostræ recessus admittatur, providè limites & obstacula posuit. Substantia, quæ repetitas Macerationes & Decoctiones in Aqua etiam per plures menses, absque eo quod omni sua amaritie & adstringentiâ orbetur, sustinere potest, non facilè in vasis sanguiferis subigenda foret; sed verosimiliter, saltem in naturali statu,

œconomiæ animalis legibus penitus repugnaret. Circa hanc rem Celeberrimus FRIEND adfert, ſe non citiùs duas uncias Decoctionis hujus Remedii in canis venam jugularem infudiſſe, quam atroces ſequerentur Palpitationes, Convulſiones, demum Mors. (*p*) Ita humanæ Fabricæ providus Conſervator effrœnatum ſuperbientium mortalium Curſum ſiſtit, dum per vanæ ſcientiæ nebulas, cæco greſſu, devias ſemitas, quæ plerumque ad perniciosos errores ducunt, proſequuntur. Non quod naturæ leges & Medicamentorum effectus nimis ſtudiosè inveſtigare, vel nimio ardore proſequi poſſimus, tam diu quam, ſedulæ obſervationis filum ſequentes, nihil, niſi quod facilè e phænomenis deduci poteſt, concludimus: verùm infeliciter e paucis, quæ de his rebus noſcimus, plurima ad illam eamque majorem partem, quam ignoramus, ſpectantia ſupponimus, & hallucinationes hinc in theoria natæ transferuntur in praxim.

Tempore belli nuper in Germania geſti Gallorum Exercitum e Bohemia reducem ſpecies tertianæ putridæ invaſit, quæ demum in criticos

(*p*) Emmenalogia *Cap*. XIV.

ponè aures & ſub axillis abſceſſus terminabatur. Hi abſceſſus ad plenam maturitatem ducti uſitata in ſimilibus caſibus methodo aperiebantur. Sed non citiùs infauſta hæc operatio inſtituta fuerat, quam prægreſſa ſymptomata ſummâ virium proſtratione ſtipata recurrerent, & Ægri paucorum dierum ſpatio interirent. Ægri rebus verò, abſque eo quod aliquid ad promovendam vel retardandam ſuppurationem tentaretur, prudenti Naturæ conſilio commiſſis, materia purulenta per canalem inteſtinalem, vel aliud quodvis emunctorium feliciſſimè evacuabatur. Ita Practici curationis methodum ab ipſa Natura deſignatam imitari diſcebant, & ab eo tempore ferè omnes hoc morbo correpti ſanabantur. (*q*)

Ita plerumque Ars Naturæ imperium audacter occupat, & inordinatos complicatæ machinæ motus, modo ſæpe improprio & inſolito, moderatur. Ex hoc fonte in morborum cura innumeri errores, & tandem hallucinationes ad Medicamentorum effectus ſpectantes ſcatu-

(*q*) *Mémoires de l'Academ. Royale des Scienc. des Stokholm.*

riunt. Febres intermittentes & Cortex Peruvianus, quæ ſubjecta nunc inveſtigamus, manifeſta utriuſque exempla præbent: nec ulla, in hac re expectanda eſt reformatio, niſi attentiores ſimus ad egrigium illud illuſtris VERULAMII præceptum: *non fingendum, aut excogitandum, ſed inveniendum quid natura faciat, aut ferat.* Subſcribor &c.

A. FOTHERGILL.

20. Septembris 1782.

Me arrogantiæ non accuſandum ſpero, ſi concluſero, præcedentes obſervationes ſtabiliendæ Corticis Peruviani rubri præſtantiæ ſufficere. Rationi conſentaneum videtur ſperari poſſe feliciſſimos effectus hujus Corticis introductionem concomitaruros, & nos eodem febres remittentes malignas, calidiorum regionum incolas & inſalubrium loci conditionum effectus, Claſſibus noſtris & Exercitibus tam exitioſas, promptiùs debellaturos.

Finem tamen his imponere nequeo, niſi præclaris Viris, qui de hac re commercium epiſtolare mecum intertinere non dedignati ſunt, ſummas gratias perſolvero. Oportere etiam ratus ſum, ut iis, quorum litteræ ſeriùs mihi,

quam ut in hac publicatione locum habere poſſent, traditæ ſunt, gratum animum exprimam.

Omnes in eo conveniunt, ut Corticem rubrum quavis alia ſpecie efficaciorem judicent, & tamquam talem commendent.

E numeroſis experimentis, quæ cum eodem in febribus intermittentibus aliiſque morbis inſtitui, mihi videor poſſe concludere, tantùm dimidium illius quantitatis, ad quam Corticem ordinarium præſcribimus, adhiberi debere.

Lætus quoque lectoribus aſſero, eumdem in omnibus amplis hujus Metropolis Noſocomiis jam in communi uſu eſſe, & ita alteri præferri, ut omnis, qui undique expetitur, difficulter ſuppeditari poſſit.

Ut ad notas characteriſticas attendat, quibus a latioribus Corticis fruſtis, hactenus a Pharmacopolis noſtris rejectis, diſtinguitur, unumquemque monitum volo.

In hujus ſubjecti inveſtigationibus ſedulus eſſe pergam, & obnixè Amicorum meorum

benevolentiam imploro, ut accuratas obſervationes, quibus cum certitudine determinari poſſit, in quibuſnam aliis morbis pretioſiſſimum hoc Remidium tutò & efficaciter adhibendum ſit, mihi impertire perſeverent.

Remediorum agendi ratio & effectus non niſi unita induſtria & experientia ſedulorum Virorum, qui difficultatis bonas obſervationes colligendi non ignari, adversùs inevitabilem hujus Artis fallaciam ſufficienter ſunt muniti, ſtabiliri poſſunt.

F I N I S.

1248